

Zeitschrift: Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins
Zentralschweiz

Herausgeber: Historischer Verein Zentralschweiz

Band: 1 (1843)

Artikel: Liber heremi

Autor: [s.n.]

Kapitel: Liber heremi : Annales Einsidlenses majores

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-109148>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 14.03.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

LIBER HEREMI.

ANNALES EINSIDLENSES MAJORES.

A. D.

814. 5. Cal. Febr. obiit Carolus Magnus Imp. Ludouicus filius successit.
831. Mense Junio. Regni Ludouici Imp. 18. Sanctus Meginradus Heremita super Montem Etzel habitaculum seu Tuguriolum et cellulam construxit. Aetatis suæ 26 Anno. ibique fere septennio habitauit.
838. Mense Maio. Regni Ludouici Imp. 25. Scts. Meginradus Tenebrosam Siluam ingreditur. Aetatis 33. anno, ibique fere 25. annis habitauit.
840. Ludouicus Imp. Caroli Magni filius obiit. 12. Cal. Julii. Cui in Regno Germanico, Alamannico et Bauarico successit Ludouicus Rex filius.
865. In die Agnetis. 12. Cal. Febr. Passus est S. Meginradus heremita. Cum 25. Annis in Heremo extitisset interiori, et antea. 7. Annis in Monte Ezel. Latrones a Comite Adelberto et Judicibus Thuricinæ Ciuitatis uini occisi Rota, deinde combusti.
876. 5. Cal. Septb. Ludouicus Rex Germaniæ et Alemanniæ moritur. Fuit Ludouici primi Imp. filius. Carolus Crassus filius in Regno Alemanniæ successit.
881. 4. Idus Aprilis. Karolus Crassus Alamannorum Rex Imperator creatur. Anno Regni 5.
887. 4. Idus Nouemb. Karolus Crassus, ob desidiam Imperio et Regno priuatur. Arnolfus Rex Baioariorum eius ex fratre Carlomanno nepos, Regna illius suscipit.
896. Arnolfus Rex Alemanniæ et Baioariæ Romæ imperator consecratur, Anno Regni Alamannici. 9.

899. Arnolfus imp. obiit. 3. Cal. Decemb. Ludouicus eius filius regna Alamanniæ Germaniæ et Baioariæ suscipit, tum adhuc puer.
906. Benno siue Benedictus uir illustris, Canonicus Argentinensis, seculo renunciatis Heremum S. Meginradi adiit. Cellam fere dirutam reparauit, ibique habitans heremiticam uitam per 19. annos strenue gessit, Et proprietatem suam insulæ Vfnouua in Thuricino lacu, quæ feudum ejus erat ab Abbatia Seconniensi, illuc contradidit. Locum circa Cellam dictum Brül, et qui Bennouu nuncupatur, ubi tantum silua tenebrosa erat, eradicauit et ad colendum utilem fecit.
911. Ludouicus iunior Rex Germaniæ Alamanniæ et Baioariæ obiit mense Decembri. Adhuc adolescens, ætatis 18. anno et aliquot mensium, sine Virili prole. Et cessauit stirps Caroli Magni in Germania regno potiri. Fuit Arnolphi imp. filius. Rexit annis 13. Post eius obitum ilico Germani principes Chuonradum Ducem seu Comitem Franconiæ, Hassiæ et Vendrauiæ (Wederow) sibi ac Alamannis et Bauaris Regem statuunt. Eodem 911. anno mense Decembri. Filius erat Chuonradi Comitis Franconiæ, qui ab Adelberto Comite Babenbergensi interfectus fuit. Apud Frislariam Rex creatur. Vxor eius Placentia Ludouici alterius Junioris defuncti Regis filia, qui Ludouicus Caroli Crassi Imp. frater fuerat.
915. Adelbero episcopus Basiliensis dedit ad Meginrati Cellam adhortatione Bennonis ibidem heremitæ consanguinei sui, Siernze.
916. Burcardus nobilissimus Alamannorum gentis, Primus Dux Alamannorum creatur a Chuonrado Rege. Fuit Comes pagi Turgöw. (al. Lintzgöw).
- Hic Dux, jussu Chuonradi Regis Erchangerum rebellem Regi, quem captiuum tenebat (quia Alamannorum Ducatum uiolenter sibi sumpserat) decollari fecit. Rexit Ducatum Annis. 10. Vxor illius Regelinda illi Burcardum filium æquiucum genuit.
919. circa Cal. Julij Chuonradus Rex primus moritur circa Cal. Julii sine filiis. Heinricus Dux uel Comes Saxonie, dictus Auceps, Ottonis Magni Saxonie Ducis et Luitgarda Arnolphi imp. filie filius Rex creatur.
919. Burcardus primus Alamannorum Dux Ruodolfum Juniorem Burgundionum Regem pugna apud Vuinterthurum uicit.

920. Deinde eidem Regi filiam suam Bertham matrimonio copulat, Et ab Heinrico Rege tum electo deficiens, rebellis illi factus. Sed Heinricus Rex illum ad deditionem compulit. Et cum Ruodolfo Rege Burgundionum pacem inierat antequam matrimonium illud firmaretur.
925. Vuitgerus episcopus Metensis obiit. Cui Benno qui et Benedictus heremita loci nostri Cellæ S. Meginrati, successor eligitur, et ui cogitur ad suscipiendum præsulatum illum, *cum* ¹⁾ iam 19. annis heremiticam uitam in hoc loco gessisset. Mediomatricum profectus Cellam habitatore prouidit.
926. Burchardus primus Dux Alamannorum in Italia occiditur, cum rexisset Annis. 10. Relicto filio æquiuoco Burckardo, et Regelinda conjugæ, Quæ Hermanno Comiti Franconiæ, Hassiæ et Vueteruiæ Gebehardi Comitis filio postea nupsit, Cui etiam Ducatus Alamannicus ab Heinrico primo Rege traditur. Fuitque ordine secundus Alamannorum Dux.
927. Metenses Bennonem seu Benedictum episcopum suum, dudum heremitam loci nostri *visu* priuant, ob id quod uitia illorum immensa increpauerat. Animaduertitur uero in reos capitali sententia ab Heinrico Rege. Benno uero ad heremum suum, loci nostri, *summa* petitione eius reducitur, ibique usque ad obitum permansit.
934. Regnante (sine imperiali unctione) Heinrico Rege primo Anno Regni eius. 16. Mense Septembri, Eberhardus Canonicus et Decanus Argentinensis ecclesiæ, uir illustris, et Bennoni heremitæ ac patri nostro cognatus, Diuina inspiratione seculum relinquens, hunc locum heremi intrauit, cohabitator Bennonis cognati factus, tertiusque huius loci heremita factus, suas facultates et proprietates illuc tribuens, breuique *post* auxilio Hermannii Sueuorum Ducis secundi Monasterium nostrum construi cœpit.
936. Heinricus eius nominis primus Ro. Rex obiit. 6. Non. Julii, Relictis Ottone et Heinrico filiis. Otto senior filiorum dictus Magnus, in Regno successit, qui Viuente adhuc patre Rex constitutus fuit.

1) Das Original ist hier etwas beschädigt. Die ergänzten Lücken geben wir *cursiv*.

938. Ruodolfus Burgundionum Rex obiit die Septemb. fuerat dum Italiae Rex. relicta Bertha uidua; Chuonradus filius in regno successit Annis 56.

940. 3 die Augusti, Benno heremita et confrater ac pater noster obiit, hicque sepultus est ab Eberhardo.

943. Mense Septembr. Anno Regni Ottonis Magni. 8. Dietlandus cœnobita ab Eberhardo heremita Abbate primo et fundatore cœnobii nostri, in coadjutorem assumitur propter grauiam onera ædilitatis Monasterii. Tum temporis Hermannus Alamannorum Dux Monasterium nostrum Cella Meginradi nuncupatum, quod Eberhardus heremita præfatus, et primus Abbas noster, ipsius Ducis auxilio construxerat, egregie dotauit. Nam ipse totum eundem locum heremi seu uastitatis a Dominis de Rapresuile hæreditariis possessoribus fidelibus suis (nam imperii ac Ducatus sui districtus feudatarii erant) emit, et in liberum jus redegit ac cœnobio nostro contradidit. Deditque uicos Campessiam (gamps) in Rhætia Curiensi, et Vtinuulare in pago Zurichgouue in proprietatem nostram. Et finito ædificio Cœnobio sequens Priuilegium cœnobio (sic) impetrauit.

Dedit etiam posthac Burkardus, pater Heinrici Monachi houbam dimidiam in gamps.

946. Otto Magnus Rex. Interuentu Herimanni Alamannorum Ducis, Mehinrates cella, ubi Eberhardus heremita ecclesiam a fundamentis adificauit, quem locum jam dictus Herimannus Dux a quibusdam fidelibus suis in proprietatem adeptus, et ibi præfatus Eberhardus Abbas Monachis præest etc.

Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Brun Cancellarius, ad uicem Fridurici Archicapellani recognouit.

Data VI. Kal. Nouembr. A. Domini DCCCCXLVI. Indictione III. Regni XII. in Franconefurt.

947. 7. Cal. Febr. obiit Edgidis Regina Ottonis Magni Regis uxor.

Eodem anno Dominus Eberhardus Heremita primus Abbas et pater noster, emit ex suis propriis facultatibus Bâchu et Friembach uiculos in Comitatu Zürichgouue iuxta lacum sitos a possessoribus et huc contradidit.

Et iisdem diebus Hermannus Alamannorum Dux coadjutor in fundatione Eberhardi Abbatis Quaradaues (grabs) in Rhætia, in

Comitatu suo proprio situm cœnobio nostro donauit, cum longe semotus tum esset, apud Regem in Franconefurt, et nihil adhuc de sequenti miraculo sciret. Impetrauitque a Rege, ut illa donatio priuilegio Ratificaretur.

Otto Magnus Rex etc. interuentu Luitolfi filii nostri, et Herimanni Ducis, Eberhardo Heremita Meginrates Cellæ Viro illustri, ratificat donationem Quadrauedes Villæ in Rhetia, in Comitatu eiusdem Herimanni Ducis sitam.

Signum Domni Ottonis inuictissimi Regis.

Brun Cancellarius, ad uicem Friderichi archicapellani recognoui.

Data 9. Cal. Febr. A. Domini 948. Indict. Regni XIII. in Franconefurt.

Sequenti Anno idem Rex eandem donationem iterum Ratificat.

9. Cal. Febr. A. D. 949. in Franconefurt Regni 14.

948. in die exaltationis S. Crucis. 18. Cal. Octob. id est. 14. die Septembris. Anno bissextili feria quinta, Agapeto tum papa eius nominis secundo Ottone Magno Rege Regnante Anno 13. In præsentia Chuonradi Constantiensis, et Vodalrici Augustensis episcoporum, aliorumque plurium Venerabilium Virorum, Cum ecclesiam maiorem nouiter constructam ac Sacellum S. Meginradi Diuæ Virgini ab ipso dicatum, ab Eberhardo Heremita et Abbate eiusdem loci reparatum, et tum ibidem degenti, consecrare uellet ipse Dominus Chuonradus episcopus, uerus ordinarius quum in eius diœcesi esset. Tum monitus ab Angelis et uoce cœlitus demissa, cunctis astantibus audientibus, ut desisteret, Nam ab ipso Deo in memoriam Matris suæ Beatæ Mariæ Virginis consecratum esse. Viderat enim ea nocte ipse episcopus et alii per Visionem quandam, talia (ut ipsis apparebat) perfici. Tunc uoce illa monitus desistebat episcopus ab incepto. Et posthac relatione facta Leoni pontifici ab ipso S. Chuonrado episcopo Romæ, in præsentia Ottonis Magni tum imperatoris, cui eadem gesta manifestata erant, eodem Diuina ac Angelica consecratio approbatur et confirmatur apostolico priuilegio Anno Domini 964. Nam Pontifici Maximo hæc tamquam. Spiritualia approbanda decebant.

948. . . . die Decembris obiit Herimannus Dux Alamannorum, eius nominis primus, ordine secundus, cum rexisset Annis 22. Decessit sine uirili prole, Vnicam filiam relinquens filiam Jtam

nomine ex Regelinda coniuge, quam filiam dum uiueret Luitolfo Ottonis Magni Regis filio copulauit, qui et illi in Ducatu Alamannico successit, ordine Dux Tertius. Regelinda uero conjux deinde Vidua permansit, quæ etiam filium apud priorem maritum Burcardum primum Alamannorum Ducem genuerat æquiuocum Burcardo patri, qui posthæc, defuncto Luitolfo in Ducatu successit.

948. quidam Adam nomine nobilis uir (cuius proprietates erant Senouium, Meilo, Nezudra et Cise, uici, in Valle Drusiana, quæ uulgo Walgöw nuncupatur, in Rhætia) aliquod deliquit crimen Læsæ Maiestatis contra Ottonem Magnum Regem, et ob id confiscantur omnia sua bona iudicio Scabinorum Cameræ Regali. Tum ipse Adam Cœnobium nostrum Meginrades Cellæ adiit, et petitione tam sua quam consanguineorum a seculo conuersus Monachus huius loci est factus. Rex uero uidens conuersionem suam, eosdem uicos et proprietates sibi confiscatas illi tempus uitæ suæ iterum concessit. Ea quidem Conditione, ut post obitum illius eadem bona cœnobio in perpetuum cum omni iure cederent. Nam sanctitate loci (propter supradictum miraculum a Deo Consecratione peractum) motus, plurima beneficia illuc contulit.

Otto Magnus Rex, Pro remedio Etgidis Reginæ uxoris nostræ defunctæ etc. Quasdam res proprietatis nostræ, iudicio Scabinorum, pro cuiusdam uiri commissu Adam nomine, nostri Regalitati iure fiscatas, Scilicet Senouium, (Schnüfis), Sline (Schlins) Meilo (Meile ob frastentz), Nezudra (Nütziders), Cise (zis —), in Valle Drusiana (Im Vualgöw) in Rhætia (in Churwalchen)¹⁾ eidem Adam iam conuerso in Meginrates Cella, tempus uitæ suæ concessimus etc.

Signum Domni Ottonis inuictissimi Regis

Brun Cancellarius ad uicem Friderichi archicapellani recognoui. Data Kal. Januar. Anno Domini 949. Indict. 6. Regni 14. in Frankonefurt. Alterum diploma continebat, quod post obitum Adami cœnobitæ, præfati uiri cœnobii nostri perpetua proprietate essent.

¹⁾ Die eingeschlossenen Namen sind hier, wie öfters, von Eschubi selbst beigelegt.

949. Gregorius Anglus, Edgidis defunctæ Reginæ, (Ottonis Magni Regis dudum uxoris) frater, Edmundi bonæ memoriæ quondam Angliæ Regis filius, et Adelstani tum Regis frater, deuotionis causa Romam proficiscitur, et aliquamdiu ibidem in Cælio Monte habitauit. Rediens uero et animo uoluens seculum relinquendi et conuersionem religionis suscipiendi, audiens de sanctitate loci Meginrates Cellæ, illuc se contulit, ibique induto Monachico habitu ab Eberhardo Abbate suscipitur, Heremiticam uitam strenue exercens.

951. Otto Magnus Rex Adelheidam Ruodolfi Burgundionum quondam Regis filiam coniugem duxit. Fuerat illa antea Lothario Regi Italiæ nupta. Mater eius Bertha Burcardi primi Alamannorum Ducis filia fuit, et Burcardi Junioris foror.

952. Otto Magnus Rex, Cœnobio Meginrates Cellæ donat Vicum Lielahæ, in pago Brisachgouue, in Comitatu filii sui Luitolfi Alamannorum Ducis. Vt sequitur.

Otto Magnus Rex etc. Ecclesiæ Meginrates Cellæ donat Lielahæ, in pago Brisachgouue, in Comitatu filii nostri Luitolfi Ducis etc.

Signum Domni Ottonis serenissimi Regis.

..... Cancellarius ad Vicem Brunonis Archi Capellani recognoui.

Data 5. Idus Augusti Anno Domini 952. Indict. 10. Regni. 17. in Augustburg.

957. Luitolfus Alamannorum Dux ordine Tertius, Ottonis Magni Regis et Edgidis prioris coniugis suæ filius obiit. die Septembris, in Italia, Rexit annis 9. Reliquit Ottonem filium adolescentem. Ducatus Alamannorum Burcardo eius nominis secundo ordine quarto Duce, comittitur, qui erat filius Burcardi primi Ducis et Regelindæ, et priuignus Hermanni ordine secundi Ducis, et frater uterinus Itæ, relictæ Viduæ Luitolfi Ducis. Huius Burcardi Ducis uxor prima fuit Luitgarta Comitissa, S. Vodalrici Augustensis episcopi soror familia Dillingen. Qua defuncta duxit Heduuigam filiam Heinrici Ducis Bauariæ, Ottonis Magni Regis fratris.

958. die 22 Augusti Obiit Dominus Eberhardus heremita fundator ac primus Abbas Cœnobii nostri Meginrates Cellæ. Cui successit Dietlandus Abbas secundus.

958. Comes Gotfridus de Nellenburg, patruus Comitis Manegoldi, Eberhardi uero Comitis filius dedit nobis Schlatte. Pro quo commutatur äschentze.
959. Aschinsa Villa in pago Turgouue nostro Cœnobio confirmatur. Otto Magnus Rex. etc. Ratificat Villam Aschinsa in Ducatu Alamannico, in Comitatu Burchardi Ducis Durgeuue etc. Signum Domni Ottonis inuictissimi Regis. Luitolfus Cancellarius ad uicem Vuillehalmi archicancellarii recognoui. Data. 8. Idus Januarii A. D. 959. Indict. 1. Regni 23. in Polithe. Hæc uilla Aschinsa posthac A. D. 972. ab Ottone secundo huius filio iterum approbatur.
959. (940) Dna. Regelinda uidua Ducissa, quondam uxor Burcardi primi, et successoris eius Hermanni Alamannorum Ducum, Materque Burcardi Junioris Ducis, quem Burcardo primo genuerat, Vnacum ipso filio Burcardo Juniore nomine secundo, ordine quarto Duce dedit nostro cœnobio in Ducatu suo Alamannico in Comitatu Zurichgouue, uicos Kaltebrunna, Steueia, et Lindenuua.¹⁾ Ratificatur posthac hæc donatio ab Ottone secundo Imp. A. D. 972.
961. Otto Magnus Rex, Interuentu Burchardi Alamannorum Ducis, Ratificat priuilegia Eberhartes Cellæ, Vbi dudum Eberhardus Heremita ecclesiam in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ et Sancti Mauricii martyris, a fundamentis ædificauit, ac cætera ædificia Monachis inhabitandum construxit, Quem locum modo Abbas Dietlandus regit etc. Signum Domni Ottonis inuictissimi Regis. Luitolfus Cancellarius ad uicem Vuilhelmi archicapellani recognoui. Data 3. Non. Febr. A. Domini 961. Indictione 4. Regni 26. in Radisbona.
962. initio Veris, Otto Magnus Rex, Italiam peruadens, Romam proficiscitur, et Coronatur Imperator a Joanne eius nominis duodecimo pontifice. Filium uero Ottonem æquiuocum adhuc pue-

¹⁾ Diese Vergabung geschah 940 (Hartm. Annales Er.), und wäre also oben bei diesem Jahre einzuschalten.

rum Regem antequam Germania exiret constituit. Imperii Coronam suscepit in Die Paschæ, qui erat 7. idus Aprilis.

962. Bertha Regina relicta uidua, Ruodolfi quondam Burgundionum Regis, Consentientibus filiis suis Chuonrado tum Rege Burgundiæ, Burchardo Archiepiscopo Vesontino, et Ruodolfo Duce, fundauit Monasterium Paterniacense in Burgundia Minori, pago Auenticensi, Diœcesi Lausannensi, Et ibidem Maiolum Abbatem constituit, oppidumque Paterniacense eidem Monasterio tradidit. Idque fecit pro anima sua et Ruodolfi defuncti Burgundie Regis mariti sui, et pro salute Ottonis Romanorum Regis et uxoris eiusdem Adelheidæ Reginae filia suæ, ac filiorum ejus, ac pro salute filiorum suorum uidelicet Burchardi Archiepiscopi Vesontini, et Chonradi serenissimi Burgundiæ Regis, et Ruodolfi Ducis etc. Data Die Martis. Kal. Aprilis. Anno 24. Regni Chonradi Regis filii. Actum uero Lausana ciuitate Anno ab incarnatione Domini 962. Indictione 5.

962. Burcardus nomine secundus ordine quartus Alamannorum Dux, Burcardi primi Ducis et Regelindæ filius, Dedit Cœnobio nostro Meginrates Cellæ, in Ducatu suo Alamannico, in Comitatu Zurichgouue, Vicos Manidorf et Esselinga.

962. Joannes papa monitus ab Ottone Magno imperatore ut a sceleribus et turpissima uita sua desisteret, Id ægre ferens ab imperatore defecit. Ideo imperator iterum Romam profectus illum deposuit, et consensu cleri Leonem octauum constituit.

964. . . die Resignauit Dietlandus Abbas noster ordine secundus Abbatiam Gregorio Anglo, Edgidis bonæ memoriæ Reginae, quondam Ottonis Magni Regis coniugis, et Adelstani tum Anglorum Regis fratri germano. Rexerat Dietlandus Annis 15. Et breui post tempore obiit.

964. præfato, Cum Romani superiori Anno circa finem Augusti, Leonem octauum pontificem eiecissent, et alium constituissent, imperator Otto Magnus ualido collecto exercitu Romam hoc anno tetendit, totam æstatem rebelles subigens, Postmodum Romam ueniens Leonem octauum pontificali sedi restituit. Tum idem Pontifex consecrationem Meginrates Cellæ a Deo ante 16. annos factam, testimonio Conradi episcopi Constantiensis, et aliorum relatione instructus, in illorum et Ottonis Magni Imperatoris præsentia sequenti priuilegio contestatus est.

Leo episcopus Seruus etc. ¹⁾

963. Otto Imp. de Italia redit in Germaniam.

963. Otto Magnus Imp. Interuentu Burchardi Alamannorum Ducis ratificat priuilegia Meginrates Cellæ, quam dudum Eberhardus Heremita uir illustris Hermanni tum Alamannorum Ducis adiutorio fundauit, cui tum idem Eberhardus præerat, et iam Gregorius Abbas præest. etc.

Signum Domni Ottonis inuictissimi imperatoris Augusti.

Luitolfus Cancellarius ad uicem Vuilihelmi archicapellani recognouit.

Data 10. Kal. Febr. A. D. 965. Indict. 8. Regni 22. Imperii 2. in Sindliezesouuo.

Eodem Anno Otto Imperator a Cœnobio Abbatia Secchinga, concambiauit proprietatem insulæ Vffenouua in lacu Thuricino, quæ quondam a Bennone primo patre (cuius feudum a Secchinga erat) Meginrates cellæ tradita erat. Cuius proprietatem iam idem Imperator totaliter eidem Cellæ donauit, et priuilegio, eodem die et loco, quo prænotatum priuilegium concessit, donationem ratificauit, et insuper Villam Scana in Rhætia contradidit.

Otto Magnus Imp. Interuentu Adelheidæ Imperatricis coniugis et Burchardi Alamannorum Ducis, et Haritberti, Gregorio Abbati Meginrates Cellæ donat Vffenouua in Ducata Alamannico in pago Zurichgouue sita. Et Scanam uillam in Rhætia, in Comitatu Adalberti etc.

Signum Domni Ottonis inuictissimi Imperatoris Augusti.

Data 10. Kal. Febr. A. D. 965. Indict. 8. Imperii 2. Augiæ.

Ratificatur hæc donatio posthac iterum ab Ottone secundo Imp. huius filio. A. D. 976 et Vffenouua antea quoque Anno scilicet D. 972.

966. Otto Magnus Imperator non cessans Monasterio nostro Meginrates Cellæ devotionis causa benefacere, ut commodius itinera ad proprietates nostras in Valle Drusiana ac alibi in Rhætia perficere poterimus, proprium nauigium in Portu Riuanò quod Vulgo Vualahestada nuncupatur donauit. Idemque Imperator

¹⁾ Diese vielbesprochene Bulle steht bei Hartmann (Annales Eremiti p. 72.) und in mehreren Ausgaben der Einsiedlerischen Chronik, daher wir sie übergehen, obschon sie Eschudi ganz aufgenommen hat.

amplius ab Abbatia in Secchinga per concambium acquisiuit Villas Vringhoua, Phaffinchoua et Mediolanum, sitas in Ducatu Alamannico, in pago Zurichgouue eadem loca nostra contradidit cœnobio. Filius uero illius Otto secundus Imperator postea ratificauit Anno Domini 972 et 976.

Gerungus quidam nobilis, dedit quoque portionem suam patrimonii sui in uilla Mediolano. (Meilen.)

968. initii Anni die, qui est Natalis Domini. Otto Junior Rex Ottonis Magni Imperatoris Filius, Romæ, in præsentia patris ab Joanne. 13. pontifice Imperator Coronatur, Fitque patri Coimpertoar.

969. Cum Otto Magnus Imp. dudum, scilicet Anno Domini 952. Villam Liela in pago Brisachgouue Ducatu Alamannico sitam, quæ spectabat ad Curtem Imperii sui Riegol, cœnobio nostro tradidisset, ut supra patet, deuotionis suæ pietate ulterius motus, eandem curtem Riegol, quæ et Regalis dicta, in præfato pago Brisachgouue Alamannicoque Ducatu sita cum omnibus pertinentiis ac uicis suis totaliter Cœnobio nostro in perpetuam proprietatem libere donauit, ad quam curtem hæc subnotata loca spectant:

Endinga . Vuenelinga . Chensinga . Deninga . Purchheim .
Baldinga . Rotuila . Bezenhusa . Berga . Bochesberg . Zarda .
Liela prius donata . Tutesuelda . Rihulinga . Birinheim .

Dietrichus de Aduocatus noster in Riegale fuit qui obiit . . die Julii . Hesso filius eius post ipsum Aduocatus noster ibidem fuit.

970. Plures donationes cœnobio nostro a Christi fidelibus ac deuotis hominibus acciderunt.

Comes Landoldus de Zæringen, auus Bertholdi Comitis de Zæringen, patris Bertholdi Ducis Carinthiæ, dedit cum uxore sua Luitgarda duas huobas in Meils in Rhætia.

Idem Comes Landolt dedit etiam predium in Brisachgouue, cum quo in Meils commutatum est.

Gerungus de nobilis dedit portionem patrimonii sui in præfata uilla Meils in Rhætia, et in Villa Mediolano in Zurichgouue, ut supra relatam est.

Notandum quod eodem anno concambium est factum inter Abbatiam Fauariensem et nostrum Cœnobium, Dederunt enim nobis Cœnobitæ Fauarienses Villicationem in Suuites suam, Et nos

illis, quæ in Meils habuimus, utrique cœnobio commodius ad fruendum. Habuimus enim antea in Suuites aliqua prædiola a Luitone Comite de Toggenburg nobis donata.

Ordinatum uero est, quod in festo apostolorum Philippi et Jacobi Monachis nostris datur de præfata Villicatione in Suuites. 4. solidi pro Piscibus, et Juncata et Lac. Propinatura de Cellario. Et circulati panes. Et in festo S. Mauricii dantur de Vuisunga in Buochs, tria fercula Piscium, Et. 4. solidi de Suuites. Circulati panes, et propinatura de Cellario.

Dedit etiam post multa tempora Comes Volricus de Lentzburg, dictus de Schennis duas huobas in Suuitz.

Ratificatio sup. Suuitz post. Ottonis . . A. D. 972.

Kerhart Comes de dedit Ecclesiam in Vuagne, et quatuor huobas ibidem. Hic post aliquot Annos puerulum Hartmannum filiolum huc ut educaretur apud nos misit, qui postea Monachus noster, Deinde Abbas Fabariæ, Postremo episcopus Curiensis factus, et summo senio A. Domini 1039 decessit. Et ante obitum suum nobis tradidit portionem prædiorum suorum in præfato uico Vuagen et in Eschibach.

Chuono siue Chuonradus Comes de Lenzeburch (frater Beronis siue Bernardi Comitis de Lenzeburch fundatoris Ecclesiæ Canonicorum, quæ ab ipso Beronis Munstere nuncupatum fuit in Argouue sita) dedit Aquaregiam, cum ualde bona piscatione ibidem, Et partem suam in uilla Vuagen. Is Comes Chuono postea occisus est. A. Domini 960.

Luitgardis Comitissa uxor præfati Chuonradi occisi, dedit quoque predium suum in Aquaregia, Et quartam partem in Vuagen.

Amazo Comes Adolescens eorundem Comitum Chuonradi et Bernardi de Lentzburch Stirpis, dedit optimam piscationem, et quicquid in Marcha præfatæ uillæ Aquæregiæ habuit. Is adolescens occisus est in expeditione Longobardica . . die Februarii Anno Domini 962.

Vuilliburgis de Emberracho et filii eius dederunt prædium in Raprechtsuiler.

Engela quædam Matrona, dedit Rûti iuxta Tuconiam.

Comes Ruodolfus de Raprechtsuile dictus Antiquus dedit predium in Rûti.

In Vigilia S. Catharinæ dantur. 4. solidi Monachis nostris pro

Piscibus, Et propinatura Vini puri, de Anniuersario Antiqui Comitatus de Rapresuuile, Et hoc de curte Rûti.

In Vigilia S. Nicolai Custos dat. 4. solidos de Rûti, Et propinaturam puri uini istius terræ, quod debet redire ad anniuersarium Comitatus de Rapresuuile.

Rupertus de Küssenacho dedit prædiola in Rûti, in Rieden, et in Toggeuuile.

Vuipertus de Hinderburg Monachus, dedit in Herzeuuile et in Rûti.

Vodalricus de Hunneuuiler, pater Vuezilonis, dedit pro filio suo Megingozo huobam in Sibeneichen. (In der March.)

Megingoz Monachus dedit huobam in Sibeneiche, a parentibus hæreditatam.

Gebene Abbas Fabariensis dedit nostro Cœnobio prædium in Linzikouue, antequam Abbas fieret, Cum noster Cœnobita esset.

Other Abbas Desertinensis (Frater Vuirandi de Vuandalburgo ex Comitibus de Raprechtesuuile cœnobitæ nostri, qui posthac Abbas noster factus) dedit duo prædia in Lintzikouua.

Sunt autem hæc loca in Linzigouue ab iis data Tizindorf, Turinga, Rûtin.

Post hac dedit Vualtherus Abbas in Petershusen unam huobam in eodem loco Thuringen.

Postmodum commutata est tota proprietas quam in Linzgouue habuimus pro uiculo Schüblenbach quicquid ibidem habemus.

972. Otto Junior siue Secundus, Coimperator Ottonis Magni patris tum adhuc uiuentis. Ratificat bona Cœnobii Meginrades Cellæ, Scilicet:

Curtem Imperii sui Riegol, in Ducatu Alamannico, in pago Brisachouue sitam, ad quam spectat: Endinga . Vuenelinga . Chensinga . Deninga . Purchheim . Baldinga . Rotuila . Bezenhusa . Berga . Bochesberg . Zarda . Liela . Tutesuelda . Rihulinga . et Birinheim .

Et in Comitatu Zurichouue:

Vffenouua . Phaffinchoua . Vrinkoua , Meiolano . Vtinuuilere . Chaltebrunna . Steueia . Bächu . Lindunouua . Rûtin . Manidorf . Ezzelinga . Friembach . Rahpretesuuilere . Sibbeneicha . Vuagena . Rûtin . Vuanga et Suutes .

In Comitatu Turgouue .

Aschenza .

In Comitatu Linzihgouue .

Tizindorf . Turinga et Rutin .

In Comitatu HRetia .

Quadrauedes . et Campessia .

In eodem Comitatu HRetia , in Valle Drusiana .

Meilis . Senouium . Sline . Nezudra . et Cise .

Signum Domni Ottonis magni et inuictissimi Imperatoris Augusti.

Vuilligisus Cancellarius ad uicem Rodberti Archicapellani subscripsi.

Data 19. Cal. Septbr. A. D. 972 (973 scriptum) Indict. 15. Regni

12. Imperii. 5. In S. Galli Cœnobio Cisalpino.

972. Otto Junior Secundus Coimperator Ottonis Magni patris tum adhuc uiuentis confirmat priuilegia Cœnobii nostri, Interuentu Burghardi Alamannorum. Ducis. etc.

Signum Domni Ottonis magni et inuictissimi Imperatoris Augusti.

Vuilligisus Cancellarius ad uicem Rodberti Archicapellani notauit.

Data. 16. Cal. Septemb. A. D. 972. Indict. 15. Regni 12. Im-

perii 5. In Augia.

972. S. Vuolfgangus Comes de Rydenfels episcopus Ratisponæ ordinatur, qui antea fuerat Decanus Cœnobii nostri Meginrates cellæ.

973. Domina Ita Ducissa Hermanni primi eius nominis et secundi ordine Ducis Alamannorum unica filia et hæres. Luitolfi Ottonis Magni Imp. filii, Tertii uero Alamannorum Ducis ordine, bonæ memoriæ relicta uxor, Sororque uterina Burcardi nomine secundi, ordine quarti tum Ducis, dedit nobis Stetten et Syernza, Cuius partem quondam Adalbero Basiliensis eps. nobis tradiderat.

Otto Magnus dedit Bergheim situm in pago Mortenouue, cum quo concambiatum est Curticola Brittona.

973. Otto Magnus Imperator, Ottonis Junioris siue Secundi Coimperatoris pater obiit Nonis Maii. Feria quarta ante Pentecosten, in Vico Mimileun . Sepultus in Magdaburg. Otto filius solus imperium rexit.

973. Feria sexta, quarta Non. Julii obiit S. Vodalricus episcopus Augustensis, cum sedisset Annis 50.

973. . . . die Nouembris obiit Burcardus nomine secundus, ordine quartus Alamannorum Dux. Burcardi quondam primi Ducis et Regelindæ filius, Hermanni ordine secundi Ducis priuignus, et Itæ Ducissæ eius Hermanni filiæ, Luitolfi defuncti Ducis ordine tertii relictae Viduæ, frater uterinus, et Adelheidis Imperatricis

Ottonis secundi Imperatoris matris avunculus . Decessit sine prole. Rexit Ducatum Annis 16. Sepultus in Monasterio Augiæ valde Senex . Reliquit uxorem Hedeuigam adhuc tum juvenem Heinrici quondam Ducis Baviariæ Ottonis Magni Imperatoris fratris filiam, quam multipliciter dotavit. Et cum jam esset valde senex, ipsa in thalamo secum nequicquam cubabat, eamque intactam vel incognitam (ut celebre est) permisit. Nam brevi postquam illam duxerat, defunctus est. Habitavit vero ipsa pudicissima virgo et vidua, plerumque in Castro duellio, secum retinens patruelis sui Luitolfi Ducis filiam Mechtildam. Fuit mulier docta latine et græce. Successit in Ducatu Alamannico Otto nomine primus, ordine quintus Dux. Luitolfi bonæ memoriæ Ducis tertii filius, Ottonis primi Imp. nepos. Regit Annos 9.

974. Domina Mechtild Ducissa, Luitolfi quondam Ducis tertii Alamannorum et Itæ Ducissæ filia, dedit nobis Gruonouua, pro quo concambiatum est Scheleien in Brisachgouue. Obiit . . die Maii A. Domini 975.

974. 6. Cal. Decemb. obiit S. Conradus episcopus Constantiensis, cum rexisset Annis 40. Hujus pater fuit Henricus Comes de Altdorf (nunc Vuingarten), avus Eticho, ex prosapia Ruothardi et Vuarini, persecutorum Sancti Othmari . Fratres vero ejus Eticho et Ruodolfus Comites de Altdorf . Ruodolfi uxor erat Ita Comitissa de Oeningen neptis Ottonis Magni ex filia Richilinda . Genuit autem Ita Ruodolfo filios Vuelfhardum (qui et Vuelfo) Henricum, et Richardam . Conrado in episcopatu successit Gaminolphus.

975. Otto Imp. Secundus, Interventu Ottonis Ducis Alamannorum Gregorio Abbati nostro Meginrati Cellæ ratificat in Ducatu Alamannico, in pago Zurichgouue, in Comitatu Managoldi, Vffennouua, Vringhoua, Phaffinchoua et Megilano, Quæ prædicta pater suus Otto Imp. bonæ memoriæ de Abbatia Secchinga concambiavit, et ad Meginrati Cellam donavit. Et in pago et Comitatu Rætia Scana, Et in Portu Riitano navigium in eodem pago. Signum Domni Ottonis imperatoris Augusti.

Folgmarus Cancellarius vice Vuillicisi archicapellani notauit.

Data 7. Cal. Januar. A. D. 975. Indict. 4. Regni 15. Imperii 8. In Eristein.

979. Otto secundus Imp. Gregorio Abbati Meginrates Cellæ nostro Confirmat privilegia.

Signum Domni Ottonis imperatoris Augusti.

Hildiboldus Cancellarius ad vicem Vuilligisi archicapellani notauit.

Data 18. Kal. Febr. A. D. 979. Indict. 7. Regni 19. Imperii 12. In Herenstein.

979. Otto secundus Imp. Interventu Ottonis Ducis Alamannorum Equitis ac Nepotis nostri (ex fratre Luitolfo defuncto) ratificat Gregorio Abbati nostro Meginrates Cellæ, heremitæ, In Comitatu præfati Ducis, Quadrauedes.

Signum Domni Ottonis imperatoris Augusti.

Hildiboldus Cancellarius ad uicem Vuilligisi archicapellani notauit.

Data 18. Kal. Febr. A. D. 979. Indictione 7. Regni 19. Imperii 12. in Erenstein.

979. Gamenolfus Constantiensis episcopus obiit, Cum sedisset Annis 5. Successit Gebehardus Hugonis Comitis de Brigantia filius, sedit Annis 16. Is Cœnobium Petershusen Sancti Gregorii in Ripa Rheni ex suo patrimonio construxit.

980. Otto secundus Imp. Gregorio Abbati nostro Meginrates Cellæ confirmat etc.

Signum Domni Ottonis imperatoris Augusti.

Hildiboldus Cancellarius ad uicem Vuilligisi archicapellani notauit.

Data 4. Cal. Febr. A. D. 980. Indict. 8. Regni 19. Imperii 13. In Helpeche.

981. Berchtoldus de Breitenueld dedit uineam in Endingen, in Comitatu Ruodolfi de Raprechtesuuilre Aduocati nostri.

Habemus etiam domum in præfato Viculo Endingen, ad Lacum Thuricinum. Notandum quod Comes Ruodolfus de Rapresuuilre Junior, Aduocatus noster, cum cuperet oppidulum construere in prædicto loco Endingen, petiit a nobis, ut illi supradictam uineam in Endingen daremus, quæ erat in decliuitate monticuli, ut domos illic construeret, Nos illi assensum præbentes, uineam tradidimus; Econtra Comes constituit, ut ea pars monticuli ac oppidi, (quam Nouum Rapresuuilre nuncupauit) quicquid uersus cœnobium nostrum aspicit, ubi Vineam stetit, perpetuum feudum a nobis ac cœnobio nostro esset, Sicut et altera oppidi pars a Cœnobio S. Galli in feudum a Comitibus ac possessoribus recipitur.

Comes Imizo de Argoya dedit huobam in Adlinkon, et unum beneficium.

Comes Bernhardus sive Bero de Lenzeburch fundatur ecclesie Canonorum Beronis Münstere in Ärgouue, Frater Chuononis sive Chuonradi Comitis occisi, dedit Vuitenheim, pro quo concambiatum est Erlibach. obiit . . die Martii.

Post multa vero tempora Chuonradus dapifer noster de Humbrechtikon dedit nobis portionem Im obern Erlibach. Et Henricus dictus Ronman plebanus in Oberkilch et Ettisuuile, dedit Vineam in Erlibach.

(Burgheim dedit quondam Otto Magnus Imp. situm in pago Mortenouua, et) ¹⁾

Maioratus (die Meierij) super prædia in Riegol, in Britton, in Erlibach, et in Pfæffinkon a nostro Monasterio retinetur.

Otto secundus Imp. dedit Berouua.

Manegoldus Comes de Nellenburg, qui et Comitatum Zürichgouue ab Ottone secundo Imp. in feudum habebat, cujus auus Eberhardus, patruus vero Gotfridus de Nellenburg erant, dedit nobis Hönk in Comitatu suo Zürichgouue. obiit . . die Maii.

982. Otto nomine primus ordine quintus Alamannorum Dux Luitolfi quondam tertii Ducis filius, Ottonis primi et Magni Imperatoris nepos, moritur. Rexit Annis 9. Chuonradus nomine primus ordine sextus ab Ottone secundo Imperatore Dux constituitur, qui regit Annis 15.

Comes Eberhardus de Baden, dedit huobam in Comitatu suo Baden in Ärgouue, in Baden. Filius ejus Comes Thiemo seu Diemo, dedit huobam in Eredingen in Comitatu suo Baden, et Rieda in eodem Comitatu.

Et posthac fuit datum possessio in præfato vico Eredingen ab Henrico dicto Ronman plebano in Oberkilch et Ettisuuile.

983. 6 Idus Decembris obiit Romæ Otto secundus Imperator, Ottonis Magni, et primi Imperatoris filius. Rexit Annis . . Imperauit Annis 15. Otto filius ejus nominis Tertius ætatis annorum . . successit in Regno. uiuente adhuc Adelheida imperatrice auia, et Theophania Imperatrice matre. Rexit Annis 18.

984. Otto Tertius Rex Gregorio Abbati Meginrates Cellæ privilegia patris Ottonis, et avi Ottonis Imperatorum, confirmat.

Signum Domni Ottonis gloriosissimi Regis.

¹⁾ Die Stellen, welche in Eschudi's Handschrift durchstrichen sind, geben wir dennoch, aber, wie hier, eingeklammert.

Hildibaldus episcopus et Cancellarius ad vicem Vuilligisi Archicapellani recognoui.

Data 6. Cal. Novem. A. D. 984. Indict. 15. Regni Ottonis Tertii 1. in Ingelenheim.

Otto Tertius Rex dedit nobis in Viluiskouue quatuor huobas, et locum Pilolfeshusen, quæ postea concambiata sunt ab Eberhardo Comite de Nellenburg, pro Volchlinsuiler, et Stetten juxta fluuium Rusa.

Luito de Rorboz, dedit huobas duas in Vuiler, quæ sunt præstitæ Advocato in beneficium. Comes Chuono seu Chuonradus de Lenzeburch, dictus de Baden, dedit Vuiler et Rûti.

991. Theophana Imperatrix, Nicephori Constantinopolitani Imperatoris filia, Ottonis Tertii Imp. mater obiit, 8. viduitatis suæ anno.

994. Conradus Rex Burgundiæ Sequanicæ et Helveticæ, ac Allobrogum, Ruodolfi quondam Regis filius, Sanctæ Adelheidis Imperatricis Ottonis Tertii imp. aviæ Frater, moritur, cum rexisset Annis 56. Reliquit filium Ruodolfum ignauum, qui rexit Annos 38. cum Mechtilda matre aliquandiu.

995. obiit Gebehardus ejus nominis primus Constantiensis episcopus ex Comitibus de Brigantia genitus. Succesit Landbertus, qui rexit Annis 23.

995. Otto Tertius Rex Interuentu Hildiboldi Vuormatiensis Episcopi Gregorio Abbati Meginrates Cellæ priuilegium dat.

Signum Domni Ottonis gloriosissimi Regis.

Hildibaldus episcopus et Cancellarius, Vice Vuilligisi Archiepiscopi recognoui.

Data 5. Idus Decemb. A. D. 995. Indict. 8. Regni Ottonis Tertii 12. in Franconefurt.

996. Regni Ottonis Tertii. 13. Hermannu Comiti de, qui posthac Alamannorum, Dux factus, natus est filius Bertolfus sive Berchtoldus, Quem in festo Paschæ ad Monasterium S. Mariæ Meginrates Cellæ ad baptizandum detulit. Isque a S. Gregorio ibidem Abbate e Sacro fonte suscipi meruit.

996. die Pentecostes, qui erat 5. Idus Junii. Otto Tertius Rex Romæ a Gregorio quinto Pontifice Imperator coronatur.

996. Otto Tertius Imp. Augustus. Priuilegium Cœnobio nostro dedit. Signum Domni Ottonis Tertii invictissimi Imperatoris Augusti.

Hildebaldus Episcopus et Cancellarius, uice Vuilligisi Archiepiscopi recognoui.

Data Prid. Kal. Nouemb. A. D. 996. Indict. 10. Regni 13. Imperii 1. In Proxolæ (Brüssel.)

996. obiit 6. Idus Nouemb. Gregorius Abbas ordine Tertius S. Mariæ Heremitarum in Meginrates Cella, Cum ei loco præfuisset Annis 33. fere. Fuit Edelmundi Angliæ Regis filius, Adelstani ibidem Regis, et Edgidis Vxoris Ottonis Magni Imp. frater. Cui successit Vuirrandus Abbas ordine quartus, ex Comitibus de Raprechtesuiler et Vuandelburg, Regens . 30. Annis.

Luiprandus de et Bezzelinda uxor ejus, et Gebene filius eorum, dederunt Höyruti.

Vuerinherus de nobilis, dedit prædia Geinwissen et Hunzingen, pro se et fratre Gerhardo occiso.

Eppo de dedit bona in Villa Lodelinga, sita circa Arolam fluuium in Burgundia Minore.

997. die . . Augusti obiit Chuonradus Alamannorum Dux nomine primus, ordine sextus cum rexisset Annis 15. Cui Otto Imperator Tertius suffecit Comitem Hermannum de nomine secundum ordine 7. Alemannorum Ducem, Cujus uxor erat Gerburga Chuonradi bonæ memoriæ Burgundionum Regis filia. Regit Annis 7.

Lampertus de dedit huobam in Lengenach, circa Arolam fluuium in Burgundia Minori.

998. Otto Tertius Imp. Priuilegium Romæ nobis dedit.

Signum Domni Ottonis Tertii inuictissimi Imperatoris Augusti.

Data 4. Cal. Maii. A. D. 998. Indict. XI. Regni 15. Imperii 2. Romæ. Quando Crescentius decollatus suspensus est.

Vodalricus de debet huobam in uilla Jungholz, quæ est in Burgundia circa Arolam fluuium.

D. Erhardus de dedit prædium Bosinga. Obiit die . . Martii.

Burkurdus de dedit Bosinga.

1000. 17 Kal. Decemb. obiit S. Adelheidis Imperatrix. Fuit Ruodolfi Secundi Burgundionum Regis (qui Anno D. 938 obiit) et Berchtæ Burcardi primi Alamannorum Ducis filia, Cuonradi bonæ memoriæ Burgundionum Regis (qui Anno D. 994 obiit) soror. Nupsit primum Lothario Regi Italiæ. Deinde Ottoni Magno Imperatori, cui genuit Ottonem secundum Imperatorem.

Ruothart de Argoia, dedit prædiolum in Buosinuiler.

1002. Otto Tertius Imperator, Ottonis secundi filius, Ottonis Magni nepos obiit 10. Cal. Februar. in Italia, in Castro Materno (al. Paterna) Regni 19. Imperii 6. Anno. Decessit sine prole.

Heinricus Dux Bauariæ, Heinrici æquiucoci Ducis filius, itemque Heinrici Aequiuoci Ducis Ottonis Magni Imp. fratris Nepos, tanquam iure hæreditario insignia ac regnum Romanorum arripuit. Fuitque eius nominis Secundus Rex. Huius uxor Kune-gundis mulier sancta Sigfridi Comitis Palatini filia. Regnat Annis 22. Menses 5. Hermannus uero Alamannorum et Alsatiae tum Dux, regnum contra Heinricum Regem affectat, sed infecto negotio. Strazburgenses uero cum Heinrico Regi aduersus Hermannum adhærent, ira motus Hermannus ultionem parans, Ciuitatem illorum irrupit, et in direptionem dedit. Pessimo quoque exemplo Sacra prophanauit. Præfatus Heinricus Rex posthac Imperator, inter sanctos post obitum relatus est, sicut et uxor illius Künegundis, quæ uirgo permansit.

1003. Heinricus Secundus Rex Hermannum Ducem Alamanniæ et Alsatiae subiugauit.

1004. Heremannus secundus nomine, ordine 7. Alamannorum et Alsatiae Dux, postquam a Rege Heinrico subiugatus fuisset, diem Anni non impleuit, Hocque Anno obiit . . die Maij, Rexit Annis 7. Cui in Ducatu successit Heremannus filius eius nominis tertius, Ordine Octauus, adhuc paruulus, qui regit Annis 8. Erat is Heinrici Regis Consobrinus.

1004. Heinricus secundus Rex . Vuirando Abbati Cellæ Meginradi Ratificat priuilegia.

Signum Domni Heinrici inuictissimi Regis.

Egilbertus Cancellarius uice Vuillegisi Archicapellani recognoui.

Data 15. Cal. Julii. A. D. 1004. Indict. 1. Regni 3. in Turego.

Amazo de dedit nobis huobam ad Liela iuxta Albis.

Volricus de Vrsibach, dedit huobam in Villa Vualasuuiler, in Burgundia Minori.

Vdalricus de Bibirusa dedit in eadem uilla Vualasuuiler dimidiam huobam.

Adelbertus de dedit de eadem uilla Vualasuuiler dimidiam huobam, in loco qui dicitur Sichenbach.

Gerungus de dedit huobas in Villa Sichenbach in Burgundia Minori.

Heinricus de dedit Nussbaumen et Siggingen. obiit die .. Aprilis.

Ekkebertus de dedit huobam in Lutenuuile, in pago Brisgaugia.

Comes Luitfridus de dedit prædiolum in Husen. obiit die .. Decembris.

Hugo et Burkardus de fratres, uiri illustres, dederunt prædium in Yedungshein, et Ratlinsuiler, et Husen.

Diepoldus de dedit in Oetinkouen dimidiam huobam, et duo beneficia piscatorum, ob reatum, quia quendam Altkerum in hoc loco trucidauit.

Adelbero de frater Lamperti et Lütprandus, et Eto, dederunt huobas in Oteratebach, sita circa Arolam fluuium in Burgundia Minori.

Adelbero de dedit uineam in Valle Nugerula, et beneficiolum in Ruodolfshusen circa Arolam fluuium in Burgundia Minore.

Vuolfhart de dedit etiam in eodem Ruodolfshusen.

Villa in Vuäckingen concambiata est de Curte Teningen in Brisachgouue, præter duos agros, quorum unum dedit Immo de Hürnhusen, Alter emptus est a Manegoldo de Lünigen.

(Hermannus Monachus noster dedit Odaldingen, et Vuenslingen,* et Tatlinkon.)

Lonzo de dedit dimidiam huobam in Tokelenbrunnen, circa Arolam fluuium, in Burgundia Minori.

1012. Herimannus ejus nominis Tertius, ordine uero Octauus Alamannorum Dux et Alsatorum, obiit die .. Maii, cum rexisset Annis 8. Hujus pater fuit Herimannus ejus nominis 2. ordine 7. Dux.

Successit in Ducatu Ernestus nomine primus, ordine Nonus. Is erat frater uterinus Adelberti Marchionis Pannoniæ superioris 1. Austriæ. Horum mater fuit. . . .

. Vxor Ernesti erat Gisla.

1012. (Vuernherus episcopus Argentinensis Comitis Guntrammi de Vindonissa filius, Radebotonis et Lanzelini frater, Fratri suo Radebotoni Landgrauiatum Alsaciæ superioris, cuius caput est Ensichsheim, q. ad Ecclesiam Argentinensem iure proprietatis spectabat, in perpetuum feudum concessit. Nam ultimus Land-

gravius sine prole ac stirpe masculina decesserat, feudumque ad ecclesiam reuolutum erat.)

1018. Idem episcopus etiam quædam loca Nouientensis cœnobii idest Eberschen Münster, uiolenter detracta eidem fratri tradidit. sc. Sulza, Burchheim, Northus, Hundenesheim et Egenesheim.

1012. die .. Decembris obiit Conradus Dux Carinthiæ i. Kërnten. Fuit filius Ottonis Ducis Vuormatiæ, Nepos uero Conradi Ducis Vuormatiæ et Lotharingiæ ac Luitgardæ, quæ filia fuerat Ottonis Magni Imperatoris. Qui Conradus senior Dux quondam Anno Domini 955. Bello Vngarico occubuit.

Præfatus Dux Chonradus Junior ex Adelheida coniuge genuit Conradum filium. Habuit prænotatus Conradus Junior Carinthiæ dux, fratrem germanum Herimannum Comitem seu Ducem Franconiæ, qui etiam filium Conradum nomine reliquit posthac Imperatorem.

Reingerus de Vstra, frater Vodalrici, dedit huobam in Schalcheshofen. (Schalkshofen) Vuetzel de Rapresuile, nepos ex sorore prædictorum Vodalrici et Reingeri de Vstra, dedit huobam unam in eadem uilla Schalcheshofen.

Eppo de Rapresuile frater præfati Vuetzilonis, dedit pro filio Ruodolfo Monacho nostro prædium in Vischetal.

Reingerus præfatus de Vstro nobilis, qui fuit Aduocatus noster, dedit prædium in Kalchhofen. Obiit die .. Marcii.

Volricus de Vstra, Reingeri prædicti frater Nobilis, dedit huobam in Hittenouua.

1014. Heinricus secundus Rex Romæ 7. Cal. Maii Imperator coronatur eius nominis Primus a Benedicto Papa octauo.

Eberhardus Monachus, dedit Basselstorf. Obiit die .. Octobr.

1015. 3. Cal. Junii Ernestus nomine primus ordine nonus Dux Alamannorum et Sueuorum in Venatu ab Adelberone Comite de sagitta perimitur, cum rexisset Annis 3. Successit in Ducatu Ernestus filius eius nominis secundus, ordine decimus, quem illi genuit Gisla coniunx, qui regit Annis 15. Habuit Gisla Ducissa uidua fratres germanos Heinricum, Fridericum, et Adelberonem. Genuit quoque apud Ernestum Ducem alterum filium Herimannum nomine, qui item posthac Alamannorum Dux factus est. Item et Heinricum.

Vodalricus de Buobinkon, Diethelmi filius dedit dimidiam huobam in Villa Volchlinkon.

Adelgoz de Bottenstein, dedit prædia Matzingen, Affoltrangen, Vuigoltingen, Rüminkon, et Vminkon.

Dna. Mechtild de Hiltboltsuile, dedit prædium in Anneuiler. Obiit die .. Marcii.

1018. Heinricus secundus Rex, Imperator primus, ratificat priuilegia nostra. Signum Domni Heinrici inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Guntherus Cancellarius uice Erchenbaldi archicancellarii notauit.

Data Non. Januar. A. D. 1018. Indict. 1. Regni 16. Imperii 4. in Frankenfort.

1018. die .. Maii Lampertus episcopus Constantiensis obiit. Rexit Annis 23. Ruothardus successit. Sedet Annis 4 Mens. 3.

1018. Heinricus secundus Rex Imperator primus, Interuentu Kuni-gundæ Imperatricis coniugis suæ, iterum priuilegia nostra confirmat.

Signum Domni Heinrici inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Guntherus Cancellarius uice Erchenbaldi Archicancellarii notauit.

Data 4. Non. Septb. A. D. 1018. Indict. 1. Regni 17. Imperii 5. in Turego.

Comes Arnoldus de Lenzeburch, Vodalrici Comitis de Lenzeburch dicti de Schennis filius dedit Molendinum in Buochs. Et huobam in Meli. Obiit die .. Maii.

Comes Vodalricus præfati Arnoldi pater, qui dederat huobas in Suuitz dedit etiam in Meli.

1019. Conradus puer Dux Carentaniæ, auxiliante patruele suo Conrado Duce Franconia posthac Imperatore, Adalberonem Ducem de pugna uincens fugauit.

Hugo de Tettenanch nobilis, dedit Buochs.

Adelbero postea Monachus, dedit in Buochs unam huobam.

Comes Arnoldus de Lenzeburch dedit in eodem loco Buochs dimidiam huobam.

Huobæ præfatæ quæ datæ sunt, postea concambiatae sunt in Vfinckon, in Menelingen, et in Reinfridesuile.

In festo S. Mauricii dantur de Vuisunga in Buochs tria feracula piscium Monachis.

1020. Vuerinharius episcopus Argentinæ, stirpis Comitum Vindonissæ, de Altenburg Castello tum nuncupati, quod est iuxta oppidulum Brugk quod ex ruinis Vindonissæ, eidem uicino, iuxta Arolam fluuium constructum est, bellum gessit contra Burgundiones, et eorum Regem Ruodolfum eius nominis tertium, ignauum. Qui auxilio Alamannorum pugna inita Regem uicit et fugauit. Hic Vuerinharius episcopus Castellum construxit in alto colle uicino Vindonissæ ac Castello Altenburg, quod Habesburch appellauit, et constituit, ut Landzelinus frater eius germanus ac posteritas eius posthac Habesburchi Castelli nomen in familia retinerent. Construxit etiam posthac Cœnobium Murense in Argouue Burgundia Minori Comitatu Rore. Horum fratrum pater fuit Comes ditissimus Guntrammus de Vindonissa nuncupatus, qui iniuste ac uolenter bona parrochiarum aliquarum sibi uendicauit, ut in gestis Murensium habetur.

Vualtherus de Vuedisuuile Monachus noster, dedit Eberhartsuuile, et prædia in Vërsines et in Flumnes.

Vdalricus de dedit dimidiam huobam in Pruthern, in Burgundia Minori circa Arolam fluuium.

Gerlo Monachus noster, dedit huobam in Birchenuuiler.

1027. Radebotho Comes Vindonissæ dictus de Altenburg, Vuernheri episcopi Argentinensis et Landzelini Comitis Vindonissensis frater, Lancellini senioris filius et Gontrammi quondam ditissimi Comitis nepos obiit sine prole. Erater Lancelinus Landgrauiatum Alsatiæ, quem Radeboto in feudum habuerat hæreditauit. ¹⁾

1022. die 25. Augusti obiit Ruothardus episcopus Constantiensis, cum sedisset Annis 4. Mensibus 3. Cui successit Henno Annis 4. Decessit autem Ruothardus in Apulia, cum S. Henricus Imperator Nouam Troiam ibidem caperet, In cuius exercitu Magna mortalitas facta est, qua etiam Burcardus Abbas S. Galli eius nominis secundus interiit. Cui successit Thietpoldus.

Domina Bilidruth, mater D. Reginboldi de Rapolstein, dedit prædium obern Basla. obiit die .. Maii.

Comes Hermannus de Froburg, dedit prædium Rore. Obiit die .. Augusti.

¹⁾ Eschudi setzt den Tod des ältern Radeboth in's Jahr 1027. Beim Jahr 1030 finden wir hier wieder einen andern Radeboth, Lancellins Sohn.

1024. 3 Idus Julii Obiit Sanctus Heinricus secundus Rex et primus Imperator, sine prole. Nam ipse et uxor S. Kunegundis uirgines permanserunt. Conradus Dux vel Comes Franconiæ, Hermanni Ducis qui A. Domini 1012 obiit filius. Ottonis Ducis Vuormatiæ nepos, Cunradi Ducis Vuormatiæ et Lotharingiæ Ottonis Magni Imp. gener. qui quondam A. Domini 955. bello Vngarico occubuit pronepos, in Regno successit, fuitque Rex secundus eius nominis. Is antea semper Sancto Heinrico Imperatori adversarius et rebellis fuit. Ab Aribone uero Archiepiscopo Aoguntino ad Regnum promovetur. Rexit Annis. 15. Vxor eius fuit Gisela ex posteris Caroli Magni Imp. linea. 14. quæ antea Ernusto bonæ memoriæ eius nominis primo Alamannorum Duci copulata fuerat. Cui genuerat filios tres Ernestum Alamannorum Ducem eius nominis secundum, et Hermannum, et Heinricum, qui etiam successiue illum Ducatum rexerunt. Genuit etiam huic Conrado Regi altero marito Heinricum posthac Tercium Regem.

1025. Magna dissensio in Regno, contra Conradum Regem molitur. Bellum enim exoritur inter ipsum Regem, et patruelem suum Conradum Ducem Carentaniæ. Cum hoc Duce Ernestus Alamannorum Dux, Regis priuignus, consobrinus eius (Nam Matres Gisla et Adelheida, quondam Conradi Ducis bonæ memoriæ uxor, sorores fuerant), Et Vuelfhardus Comes de Altdorf. id est Vuingarten Sueuus, fœdere conspirauerunt. Sed Rex temeritatem illorum fregit. Vuelfhardi huius uxor fuit Imiza de Glizbert ex gente Salica, quæ illi genuit Vuelfhardum et Chuonzam coniugem Azzonis Marchionis Montisferrati Italiæ ditissimi. Frater eius fuit Heinricus Comes de Altdorf. Pater illorum Ruodolfus Comes de Altdorf, frater S. Conradi quondam episcopi Constantiensis ex prosapia Vuarini et Ruthardi persecutorum Sancti Othmari procreati.

1025. Chuonradus secundus Rex, Interueniente Gisla Regina Coniuge, dedit una cum ipsa coniuge prædium in Steinibrunnen in pago Suntgouue.

Signum Domni Chuonradi Regis inuictissimi.

Vodalricus Cancellarius Vice Aribonis Archicapellani recognoui.

Data Idus 1. Julii A. Domini 1025. Indict. 8. Regni. 1. Spiræ.

Gerungus de Blansingen, et frater eius Hesso, dederunt pro anima Gislæ Matris suæ hic sepultæ duas huobas in Stetthein.

D. Albertus de dedit prædium in Buchs. Obiit die ..
Marcii.

1026. Heimo episcopus Constantiensis obiit, cum sedisset Annis 4. Cui Vuarmannus genere de Bonstetten nobilis successit, Monachus Cœnobii nostri Loci Heremitarum, regit Annis 8.

1026. Vuerinharius episcopus Argentinensis, ex Comitibus Vindonissæ in pago Argouue genitus, de quo supra, Chuonrado secundo Regi insidias parat.

Is Vuerinharius Castrum Habesburch prope Vindonissam, et Cœnobium Murense in pago Argouue prouincia Burgundiæ construxit, Fratrique Landzelino Aduocatiam eiusdem Monasterii commisit. Nam cum pater Lanzelinus et auus Guntrammi Comitibus Vindonissæ et Altenburg ditissimi illum locum iniuste acquisiuisset, Voluit Vuerinharius episcopus delictum patris per foundationem Monasterii erga Deum justum iudicem expiare.

Conradus uero Rex sentiens fraudem Vuerinharii episcopi et secreto percipiens, quæ contra eum moliretur, Cum se præpararet ad proficiscendum Romam pro imperiali corona impetranda, Ne quid in absentia sua Episcopus per insidias tentaret, Illum sub specie Legationis ad Græcorum Imperatorem Constantinopolim mittendum destinauit. Sed tamen executio huius Legationis protrahitur, usque in sequentis Anni Autumnum. Interim uero Cuonradus Rex Italiam pergit.

Ruodolfus de Grabs, dedit pratum in Hugebül. Obiit die ..
Iulii.

1026. Vuirandus Abbas ordine quartus Cœnobii nostri Heremitarum Meginrates Cellæ obiit 3. Anno Regni Conradi, cum rexisset Annis 30. Successit Embricus de Abensperg nobilis ex Bauaria ordine quintus, qui erat Canonicus Frisingensis. Regit Annis 26. Resignauerat autem dudum Canonicatum et Monachus noster factus fuerat.

1027. (Abbas et Monachi Nouientensis Monasterii id est Ebersheim Münster, conquæsti sunt coram Conrado Rege, de uiolenti ablatione Vicorum cœnobii sui Sultza, Burchheim, Northusen, Hundenesheim et Curtis in Egenesheim, quos Vuernherus epis-

copus Argentinensis, dudum fratri suo Radebotoni Comiti Vin-
donissensi bonæ memoriæ tradiderat, et iam frater illius Lanze-
linus possidebat, Petentes ut Vuernherum episcopum propter
hanc iniuriam sibi illatam multaret, et fratrem suum cogeret
ablata restituere. Rex petitioni consentiens mandauit episcopo
et Lanzelino, ut eosdem uicos cœnobio Novientensi redderent.)

1027. In die Paschæ 7. Cal. Aprilis Conradus secundus Rex
Romæ Imperator coronatur ab Joanne Vicesimo pontifice. al. 19.

Richuinus de dedit dimidiam huobam ad Gikken-
bach in Burgundia Minori circa Arolam fluuium.

1027. Conradus secundus Rex et primus Imperator Augustus etc.
Cœnobii nostri priuilegia ratificat.

Signum Domni Chuonradi Romanorum invictissimi Imperatoris
Augusti.

Vodalricus Cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.

Data 14. Cal. Septemb. A. D. 1027. Indict. 10. Regni 3.
Imperii 1. in Turego.

1027. Conradus Imperator, cum fallacia Vuerinharii episcopi am-
plius detegeretur, Mittit illum Constantinopolim tanquam legatum
(sicut superiori anno destinauerat), ut fraudulentum illum contra
fraude fraudaret et extingueret. Idque fecit secreto principum
consilio, Nam sine gravi discrimine propter stirpem eximiam,
et occultorum suorum conspiratorum, eum castigare aut episco-
patu priuare non audebat. Misit autem secretum nuncium ad
Constantinopolitanum Imperatorem, illique scripsit (detectis ma-
chinationibus suis) ut ipsum Episcopum damnaret. Episcopus
uero nil tale suspicatus elato animo (ut erat) gaudens hanc le-
gationem præsumit. Et ante discessum testamentum de Castro
Habesburg quod construxit, et de Cœnobio Murense a se fun-
dato, fratri Landzelino ut sequitur commendat, Nonis Septem-
bribus. ¹⁾

Post hæc Calendarum Octobrium die Vuerinherus episcopus
assumptis comitibus iter arripuit, et Constantinopolim profectus

1) Hier läßt Tschudi die bekannte Urkunde Werners von 1027. Indict. 10.
„Ne qua Ingeniorum peruicacia etc.“ folgen. (Tschudi Chron. S. 9.)
Er hat auch diese ganze Geschichte fast wörtlich in seine Chronik aufge-
nommen.

est. Imperator uero Grecorum lectis litteris Conradi Imperatoris, illi a secreto nuncio datis, quibus continebatur ipsum insidiatorem imperii extitisse, ilico a Græcorum Imperatore in insulam quandam transmittitur, ibique toxicatus impiam uitam digna morte finiuit. Vt gesta Cænobii Novientensis Vulgo Eberschen Münster in Alsatia referunt.

Adelbero Comes de Froburg dedit huobam in Buxita, et Vineam modicam in Burgundia Minore circa Arolam fluuium.

1028. Conradus Imperator Vlmæ publicum placitum indixit, ibique Heinricum filium ex Gisela coniuge natum, Regem, eius nominis tertium constituit. In eodem placito rebelles Imperatoris, Videlicet Ernestus Alamannorum Dux eius priuignus, et Vuelfhardus Comes de Altdorf id est Vuingarten, sese dedunt.

Eodem Anno Castrum Chiuburch in pago Turgouue Comitum Vuernheri de Chiuburch tribus mensibus a Conrado Imp. obsessum capitur. Vuernherus Comes uix auffugit.

1029. Eppo de infelix et Deo odibilis Monasterium nostrum Heremi loci incendit et combussit sub Embrico Abbate. Pro quo reatu postea data est huoba in Villa Stetten. Embricus Abbas cænobium reparavit magno sumptu et labore.

1029. (Lanzelinus Landtzi qui et Landolo Comes Vindonissæ dictus de Altenburg obiit, Qui primus Habesburgi nomen recepit, a Castello eius nominis quod germanus frater suus Vuernherus Episcopus prope Vindonissam et Altenburg in pago Argouue construxerat. Fuit filius Lanzelini senioris, nepos Guntrammi ditissimi Comitum. Reliquit filios Radebothonem et Ruodolfum, quorum Ruodolfus in Alsatia paterna bona, scilicet Comitatum prouincialem superioris Alsatiae, qui feudum erat, ab Ecclesia Argentinensi reuerat. Idem Ruodolfus in Alsatia Cellam Otmarsheim construxit.

1030. Radebotho uero uxorem duxit Dominam Itam sororem germanam Theodorici Ducis Mosellanorum i. superioris Lotharingiae, habuit etiam fratrem uterinum Chuononem Comitem de Rheinfeldem, quem mater eorum primo suo marito genuerat. Hujus Chuononis filius fuit Ruodolfus posthac Dux Sueuorum et pseudo Rex. Petiit autem Ruodolfus Comes qui postea Cellam in Otmarsheim construxit a fratre Radebotone, ut secum diuideret possessionis suas in pago Argouue, sicut et alias pos-

sessiones paternas, denegante uero Radebotone, uenit huc Ruodolfus et omnia incendio tradidit et prædatus est. Quo facto discessit, sed tamen a fratre suo nihil obtinere potuit.)¹⁾

Diethelmus de Buobinkon, dedit prædium in Kentbraten.

Berchtoldus de Kaltbrunnen Miles, dedit pratum in Krinnegge. Obiit die .. Decemb.

1030. Conradus Imperator cum exercitu contra Stephanum Regem Pannoniæ i. Vngariæ profectus est. Interea Ernestus secundus eius nominis, ordine decimus Alamannorum Dux, ipsius Imperatoris priuignus iterum rebellis factus, gratiam Imperatoris cum Ducatu amisit, quum annis 15. eundem Ducatum rexisset. Suffecit autem Imperator Ducem eiusdem Ernesti fratrem germanum Herimannum, huius nominis quartum ordine uero undecimum, qui regit Annis 8.

Ernestus uero depositus Dux, cum Vuerinhero Comite de Kiburg milite suo Castrum Valkenstein in silua Martiana quæ et Nigra appellatur obsederunt, cum quibus Manegoldus Comes de Nellenburg uice Imperatoris prælium commisit, in quo ipse Dux Ernestus et Vuernherus Comes, ac etiam Manegoldus Comes, una cum Adalberto et Vuerni egregiis militibus occubuerunt, eodem Anno 16. Cal. Septemb.

1031. 6. Idus Maias, Primi lapides fundamenti Basilicæ Maioris in Cœnobio nostro Heremi Meginrates Cellæ positi sunt, sub Embrico Abbate nostro Imperii Conradi 5. Regni uero 7 anno.

1032. (Cum maximum placitum Prouincialium primatum fieret iuxta pontem fluuii qui dicitur Glatta, in pago Turgöuue, venit illuc Comes Radeboto Vindonissensis, dictus de Habesburg, et accersiuit de Cella Sancti Meginradi, Abbatem Venerabilem nomine Embricum, Et eum rogauit, ut pro Dei amore Monasterium patrimonii sui Murense, cuius Aduocatus esset, iuxta Regulam Sancti Benedicti instrueret ac gubernaret, et cætera quæ fuissent necessaria habitacula Monachis disponeret, et suos Fratres ad hoc implendum destinaret. Cui cum ipse Abbas Embricus uix assensum præberet, sic sibi a Comite Radebotone, et uxore eius Domina Ita Ducissa Mosellanæ Lotharingiæ, prædictum locum Mure commendatum, in suum Magisterium suscipiens, Mox illuc

¹⁾ Diese eingeklammerte Stelle fehlt in Eschubi's gedruckter Chronik.

destinavit Reginboldum Monachum, in omnibus artibus suis laudabilem uirum, qui nuper antea ad Cellam Meginradi a Solodoro Castro ad conversionem uenerat, Et ei præcepit ut ipse Præpositus prænotati cænobii Mure esset, et utilitatem eius loci promoyeret. Misit et alios fratres qui eum adiuuarent. Tunc Comes Radeboto cum Domino Reginboldo Vuarmannum Constantiensem episcopum simul adierunt, Petentes ut eadem confirmaret. Quorum petitioni episcopus Consentiit.)

1032. Ruodolfus eius nominis tercius, dictus ignauus, Ultimus Burgundionum Rex Cuonradi quondam Regis filius, obiit, cum rexisset Annis 38. sine prole. Diadema suum Cuonrado Imperatori misit. Sed Voto sororis ipsius defuncti Ruodolfi Regis filius, regnum illud Burgundicum tanquam hæreditatem patrum suorum affectauit, Et magnam partem Regni sibi ac successoribus suis hæredibus ui obtinuit.

Geroldus Monachus Coriciensis Cænobii dedit prædium apud Sura.

Hesso de Rimisingen, dedit prædium unum in Rimisingen, pro se et fratre suo occiso.

Berchtoldus Nicolaus de Rimisingen adolescens, frater Hessonis præfati de Rimisingen, dedit prædium Buttikhofen.

1034. Vuarmannus episcopus Constantiensis, ex nobilibus de Bonstetten genitus obiit, cum rexisset Annis 8. Successit Eberhardus eius nominis primus, sedet annis 12. et aliquot menses.

1034. Consecratur Capella Sancti Gangolfi ab Eberhardo Episcopo Constantiensi.

1036. Volricus Comes de Lenzeburg, constituit Nepotem suum Arnolfum Comitem in Aduocatum Ecclesiæ Canonorum Münster in pago Argouue, ut sequens littera testatur.

Ego Volricus Dei gratia Comes orbatus filiis, omne patrimonium meum Nepotibus meis relinquens, statui ut Canonica mea Peronis Monasterium dicta a Parentibus meis primitus, postea a me in honore Sancti Michaëlis fundata, Vno ex Nepotibus meis Arnolfo, qui Maior ætate est, post obitum Heinrici filii

1) Auch diese fast wörtlich mit den Act. Mur. übereinstimmende Geschichte fehlt bei Eschubi. Hartmann Annales Er. führt sie aus den Act. Mur. beim Jahre 1026 an.

mei, illud Monasterium destinaueram, ut Aduocatus et defensor eiusdem Ecclesiæ et Canonicorum esset etc. Aduocato uero pertinent Curtes Rinacha, Beinuule, Gunezuuilare, Et in loco qui dicitur Arta una Curtis ad Sanctum Georgium cum Ecclesia, Et quidquid habeo in Sursee, Ecclesiam ibi superiorem cum Curte, Et dimidiam Ecclesiam in Ouchein, cum uineto.

Canonicis uero pertinent, inferior Ecclesia in Sursee, Nüdorf cum Ecclesia, Hochdorf, Et tres partes Ecclesiæ in Sarnina, cum Curte inferiore, Et quidquid habeo in Alpenach, in Kherns, Kussenach, Vodelgosuuilare, Buttensulza, Starkenkilcha, Richentale, Langenouua, Hagendorf, Kyttingen, Hêrkelingen, Schongouue, Armensee, Magton, Curtem Vuernheri ad Potinchouen. etc.

Actum in Publico Mallo Rore. Sub Comite Volrico.

Ego Ozo scripsi et subscripsi.

Notauî Diem et Annum. Anno D. Incarnationis M.XXXVI. Indict. III. V. Idus Februarii. Luna VIII. Domini Chuonradi Regni XII. Imperii IX. anno Feria II.

1038. 5. Kal. Augusti obiit Herimannus eius nominis quartus, ordine XI. Alamannorum Dux in Italia, quum in Comitatu Conradi Imperatoris tum esset Vitrici sui. Rexit annis 8. Decessit sine liberis. Successit in Ducatu Heinricus frater eius uterinus, ordine duodecimus, ex eadem matre Gisela Imperatrice genitus, Cuonradi tum Imperatoris filius. Is sequenti anno defuncto Conrado Imperatore patre, Romanorum Rex eius nominis tertius creatur. Rexit uero prædictum Ducatum annis 7. Fuerat autem dudum scilicet Anno D. 1028. Rex a patre destinatus.

Benno de Bollingen dedit huobam in Grunnigen.

Ezzelin de Ilnouue dedit huobam in Gundinesouue.

Chuono de Vuitersberg dedit huobam in Liebofingen, quæ commutata est in prædictam uillam Gundinesouue.

Hadbrecht de dedit Eroltzheim, in pago Illegöuu. Obiit die .. Aprilis.

1039. Pridie Non. Junii obiit Conradus Imperator primus et Rex secundus eius nominis Imperii 13. Regni 15. anno. Sepultus Spiræ. Successit in Regno eius et Giselæ filius Heinricus huius nominis Rex tertius, antea Rex Burgundiæ et Dux Alamanniæ præcedente Anno a patre creatus. Quem et dudum sc. A. D. 1028. Regem nuncupauit. Eodem anno Pridie Non. Octob.

Reliquiæ Corporis Sancti Meginradi patris ac primi Heremitæ loci nostri, et Martyris Huc de Augia Cœnobio allatæ sunt.

Ecclesia Basilica Cœnobii nostri Heremi, a tribus Pontificibus in unum huc conuenientibus 3. Idus Octobris, in honore Diuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ et Sancti Mauriti Sociorumque eius dedicatur.

Chunegundis Regina uxor Heinrici Regis obiit.

1040. Heinricus Tertius Rex confirmat Cœnobio nostro in Comitatu Ilregouue, Erolfesheim. Et in Elsazo Villa Bartenheim.

Signum Domni Heinrici Tertii Regis inuictissimi.

Theodoricus Cancellarius ad uicem Burdonis Archicapellani recognoui.

Data Pridie Non. Febr. A. D. 1040. Indict. 8. Ordinationis 12. Regni 1. in Augia.

Comes Otto de Alsacia, dedit nobis quoque huobam in Bartenheim.

Dimidia iam dicta Huoba in Bartenheim quam Otto Comes de Alsacia dedit commutata est in Rordorf.

Dominus Luitoldus de Regensberg Nobilis, qui fundauit Rûti Cœnobium, Nobis subiecit Cœnobiolum Vare.

Hermannus Monachus noster, dedit Odaldingen, Vuenslingen et Tatlinkon.

1043. 16. Kal. Martii Gisla Imperatrix uidua, Heinrici Tercii Regis mater obiit.

Eodem anno Synodus Constantiæ habita, in præsentia Heinrici Regis.

Eodem anno Heinricus Rex, Agnetem Vuillehelmi Pictauiensis et Aquitaniæ Comitis filiam, uxorem duxit.

Vualtherus de Elnesouua, dedit dimidiam huobam in Turbatal.

1045. post medium Ianuarium, Heinricus Tertius Rex Solodorum uenit, et circa initium Februarii inde discessit, cum res Burgundiæ ibidem disposuisset. Profectus uero est in Germaniam ad Goslariam Saxonie ciuitatem, et ibi in Paschali hebdomada coram Principibus abdicauit se Ducatu Alamannico, cum illum septennio rexisset, Constituitque Alamannis Ducem Ottonem Palatinum Comitem (de Vuitelinsbach) eius nominis secundum,

ordine uero decimum tertium, qui rexit Ducatum annis 2. et aliquot Mensibus.

Guota de Grabs, dedit per Dominum Heinricum de Grabs Vineam an dem Stege.

1046. ultima anni die, idest in Vigilia Natiuitatis Domini Eberhardus episcopus Constantiensis eius nominis primus, obiit Romæ, cum ibidem in Comitatu Heinrici Regis esset, Rexit annis 12. et aliquot mensibus. Cui successit Theodoricus Annis. 4 et aliquot Menses. Crastino uero, id est in ipsa die Natalis D. Clemens eius nominis secundus papa consecratur et inthronizatur, ineuntis Anni incarnationis Domini 1047. Antea uero electus fuerat.

Et eadem Natiuitatis Domini die Heinricus Tercius Rex ab ipso Clemente pontifice Imperator eius nominis secundus coronatur.

Maffridus de Siggingen, dedit prædium in Villa Luogaten.

1047. Mense Decembri obiit Otto eius nominis secundus, ordine decimus tercius Dux Alamannorum et Palatinus Comes (de Vuitilinsbach) cum rexisset Ducatum annis 2. Mensibus 8.

1048. Heinricus secundus Imperator, Rex Tertius, Natalem Domini in Saxonia moratur. Inde per Vuirceburgum in Alamanniam uenit, et Vlmæ colloquium habens, Ottonem Marchionem de Suuinfurto Ducem Alamanniæ constituit, eius nominis tertium, ordine decimumquartum. Inde in Baioaria quadragesimam et Pascham egit. Hinc digressus Alamanniam repetit, et Augiam Maiorem 8. Cal. Maii ingressus. Dehinc Ascensionem Domini Turegi peregit. Postmodum Pentecosten Solodori in Burgundia Minori celebravit, habitoque ibi cum Burgundionibus colloquio, per Alamanniam et Franciam Orientalem in Saxoniam remeavit.

Comes Ruodolfus de Raprechtsuile Aduocatus noster, dedit Vineam in Herlegi. Chuonradus de Gerlinkon, dedit bonum in Gerlinkon.

1050. Agnes Imperatrix peperit Heinrico Imperatori, Heinricum filium, posthac Regem eius nominis quartum. natus 3. Idus Nouembr. id est XI. die Nouembr. Gotzprecht de Spreitenbach frater Vuipterti dedit Höptinkouen.

1051. Theodoricus Constantiensis episcopus obiit 10. Kal. Julii, cum sedisset annis 4. Menses 5. Dies 24. Ruomoldus successit Annis 18. ¹⁾)

Hupolt de Bieln dedit huobam in Zuminkofen, iuxta pontem Arolæ fluuii.

1052. Heinricus secundus Imperator Natalem Domini, primum Anni diem Goslariæ in Saxonia egit, Pascham deinde Spiræ, Postea circa festum Sancti Marci Lætaniarum Solodori colloquium habuit cum Burgundionibus, Inde Turegi Pentecosten celebravit.

Eodem Anno Agnes Imperatrix Heinrico Imperatori alterum filium genuit Conradum nomine.

Eodem Anno Eberhardus Comes de Nellenburg Epponis quondam Comitis filius Monasterium in Schafhusen iuxta Rhenum in Alamannia construere cepit. Quo in loco Leo Nonus papa. 10. Kal. Septb. eodem anno Altare consecrauit, et benedictionibus initiauit.

Eodem anno Basilica Maior Constantiæ corruit.

Eodem anno Sanctus pater et Abbas noster Embricus obiit ordine quintus cum optime ac religiose rexisset Annis 26. Defunctus 14. anno Imperii Heinrici.

Hermannus huius nominis primus, ordine uero sextus substituitur Annis 13. regens. Fuit frater Adelberti et Lütfridi Comitum de Vuinterthur. Quorum Lütfridus Bello Bohemannico occubuit.

Comes Adelbertus de Vuinterthur prædictus, Abbatis nostri Hermanni frater, dedit huc pro Lütfrido fratre suo, qui in bello Bohemannico occubuit Kempten, Et huobam in Richenbach, Quæ commutata est in locum Vuernoltzhusen, Et Molendinum. cum beneficio in Innoue.

Domina Irmengardis Mater præfati Adelberti Comitis et Hermanni Abbatis dedit prædium in Richenbach, Et molendinum in Innoue. Obiit die . . . Martii.

Eppo de Lengenach dedit Abbati nostro Hermannno prædium ac portionem in Lengenach. Obiit die . . Decemb.

Heinricus dictus Ronman Plebanus in Obernkilch et Ettissuile, dedit Vineam in Erlibach, et possessiones in Erendingen, ac domum in Sursee. Obiit die . . Febr.

¹⁾ Ruomold war zuvor Mönch in Ginfedeln gewesen.

Comes Vodalricus de Kiburg frater Eberhardi Comitis, Consanguineus Abbatis nostri Hermanni de Vuintertur, dedit nobis in Mentzenhein.

Comes Eberhardus de Kiburg præfatus, frater Volrici Comitis, dedit Ekenwil, et dimidiam huobam in Curia, quæ commutatæ sunt in locum Flachkes. Fuit is Comes Consanguineus Abbatis nostri Hermanni.

Immo de Ruode cœnobita noster, dedit huobam ad Finstersee.

Joannes de Adelensuile, dedit pomerium in Barro, et prædium in Bosinkon.

1053. prima eius anni die id est in Natali Domini Leo papa eius nominis Nonus et Henricus secundus Imperator inuicem Vuormatiæ erant. Is Leo papa tum Hermannum Abbatem nostrum consanguineum suum Pontificalibus ornamentis insigniuit. Fuerat enim idem papa antea episcopus ciuitatis Tulli Leucorum in Lotharingia, Bruno appellatus, ex stirpe Comitum de Dabisburg inferioris Germaniæ genitus, et cognatione Abbati nostro Hermannino iunctus.

1054. Henricus secundus Imperator, Quadragesimæ partem Thurici peregit, deinde Rhenum descendens Pascham Mogontiaci celebravit.

Eodem anno Leo Nonus papa Romæ obiit. 16. Kal. Maii. Victor secundus successit.

1054. Henricus secundus Imp. in Conuentu Triburiæ Henricum filium quadriennem Regem Romanorum designat, eius nominis quartum.

1056. Henricus secundus Imp. Natalem Domini id est primam anni diem Thurici peregit, cum iam ex Italia uenisset, ibique Bertham Marchionis Ottonis Montisferrati ex Lombardia filiam Henrico Regi, tum quinquenni paulo minus desponsauit. Et eodem anno 3. Non. Octobris, obiit prædictus Henricus Imperator secundus Rex Tertius. Henricus quartus eius filius, tum fere sexennis in Regno successit, sub tutela Agnetis Imperatricis Matris. Obit autem Henricus secundus Imp. Anno Imperii 10. Regni 18. ordinationis 29.

1057. Otto Tertius eius nominis ordine 14. Alamannorum Dux et Marchio de Suuinfurt obiit 4. Cal. Octobr. cum rexisset annis nouem et dimidium et aliquot dies. Sufficitur à Henrico quarto

Rege Ruodolfus Comes de Rhinfelden, ordine XV. fuit Chuononis Comitis quondam de Rhinfelden filius, in Militia eximius uir. qui posthac Regnum affectauit. Regit Ducatum Annis 22. Huic posthac Anno Domini 1059 Mathilda Heinrici quarti Regis soror Matrimonio copulatur, quæ sequenti anno 1060. obiit.

1064. Heinricus quartus Rex Confirmat priuilegia nostra.

Signum Domni Heinrici quarti Regis.

Sigishardus Cancellarius Vice Sigefridi Archicancellarii recognoui.

Data 7. Cal. Martii A. D. 1064. Indict. 2. Ordinationis 9. Regni 8. Basileæ.

1065. Regni Heinrici quarti Regis Anno 9. obiit Abbas noster Hermannus eius nominis primus, ordine sextus, cum rexisset Annis 13. Successit Heinricus eius nominis primus, ordine septimus Annis 5.

1069. Ruomoldus episcopus Constantiensis obiit Pridie Non. Nouembr. cum rexisset Annis 18.

1070. initio circiter anni Carlomannus Canonicus Magdeburgensis et Præpositus in Harsisburg Constantiensis Episcopus constituitur ab Heinrico quarto Rege, inuito ac adversante Clero Constantiensi ac Ecclesia, Nam suspectus erat ipse Carlomannus de heresi. rexit tantummodo annum unum.

Eodem anno, qui est 14. Regni Heinrici quarti Regis, obiit Heinricus eius nominis primus, ordine septimus Abbas noster, cum rexisset Annis quinque.

Seligerus de Vuolhusen Nobilis, dudum Militiæ deditus, postea compunctione diuina conuersus et cœnobita noster factus, successit, ordine octauus. Regit Annis 20.

1071. Carlomannus episcopus Constantiensis ab Heinrico Rege quarto superiore anno constitutus, cum Symoniacus esset, propter heresim sede dejectus est, cum annum unum rexisset.

Heinricus Rex, iterum inuito Clero ac renitente Ecclesia Ottonem Canonicum Goslariensem ex Saxonia substituit, qui regit annis 13. et aliquot Menses.

1076. Heinricus quartus Rex propter insolentiam anathematizatur a Gregorio septimo pontifice. Dominus Seligerus Abbas noster, dedit Cænobio nostro de proprietate sua Ettisuuile, Vuauuile, Craoltesuuile, Bonoltzuuile, Eggelinsuuile, Tagmarsellen, et

Capellam in Bottenuile, et partem octauam Ecclesiæ in Ruoden.
Et partem quartam Ecclesiæ in Seeberg.

1077. Ruodolfus Alamannorum Dux et Comes de Rhinfelden, (cuius uxor secunda Adelheidis, Berchtæ Regina, Heinrici quarti Regis coniugis soror uterina erat et similiter Vuelfonis Ducis Bauariæ uterina soror), a principibus quibusdam contra Heinricum quartum Regem, Romanorum Rex declaratur, et a Sigifrido archiepiscopo Moguntino 12. Kal. Aprilis ungitur. Is Ruodolfus Rex ad Augiam et Constantiam uenit, et Ottonem ibi Episcopum fugauit, qui adhærens Heinrico Regi, a Gregorio papa excommunicatus erat. Pontifex uero Gregorius episcopo Batauiensi (Passow) episcopatum Constantiensem commisit. Heinricus autem quartus Rex ex Italia ueniens Ruodolfum Regem apud Sigmaringen Danubianum oppidum uicit, et in Saxoniam fugauit, Et Ottonem Episcopum Constantiæ restituit.

Eodem Anno Agnes Imperatrix Heinrici quarti Regis mater, mulier sancta Romæ obiit, cum 21. Annis uidua extitisset.

1079. Heinricus quartus Rex, Ruodolfum pseudoRegem Ducatu Alamannico destituens Fridericum Comitem de Hohenstouffen, (quod est inter Vuormatiam et Spiram) Ducem eius nominis primum, ordine sedecimum constituit. Sed Ruodolfus Rex dum uiueret, maiorem Ducatus partem ui retinuit. Regit Fridericus Ducatum Annis 26.

1080. Ruodolfus Rex, et Dux Alamannorum Comesque in Rhinfelden, in prælio occubuit Idibus Octobris, a Heinrici quarti Regis exercitu uictus.

1084. Heinricus quartus Rex Romam profectus Gregorium Septimum Papam fugauit, pontificatuque priuauit, aliumque in sedem intrusit, quem Clementem Tercium nuncupabant. Is Clemens ipsum Heinricum Regem Imperatorem coronauit, Et Bertham conjugem Imperatricem, quod actum est in Dominica Paschæ. Tertiusque eius nominis Imperator appellatus est.

Postquam uero Heinricus in Alamanniam redisset, Clemens quem Papam constituerat e sede eiicitur, et Gregorius restituitur. Qui tamen sequenti anno moritur. Clemens uero in ordine Pontificum non numeratur.

1085. (al. 1084) Otto Pseudoepiscopus Constantiensis, in Synodo apud Quintilingoburg habito excommunicatur. Gebehardus frater

- germanus Bertholdi Marchionis de Zæringen Episcopus Constantiensis eius nominis tertius, ab Ottone Episcopo Ostiensi Apostolico Legato constituitur XI. Kal. Januarii . eius nominis secundus. Fugato Ottone pseudopiscopo tum in exilio uagante. Fuerat is Gebhardus antea Monachus Sancti Aurelii Hirsaugiæ, Et ab Hermanno pseudo Rege (qui post interitum Ruodolfi Regis Contra Heinricum a quibusdam Principibus electus fuerat) ac Vuelfone Bauariæ Duce ad Episcopatum promouetur. Rexit Annis 25. al. 26. Contra hunc Gebhardum electus fuerat Arnoldus Cœnobita quidam Sancti Galli, sed a Gebhardo fugatur. A. D. 1089.
- 1088.** Hermannus de Lützelburg Pseudorex obiit Mense Octobri, Cum annis 7. Mensibus duobus rexisset.
- 1090.** (al. 1080) anno Regni Heinrici 35. (al. 25.) Seligerus Abbas noster spontanee Abbatiam Fratibus Cœnobitis resignauit. Fratres uero uoluntate ipsius Seligeri Ruodolfum eius nominis primum, ordine Nonum eligunt, qui tum Camerarius erat. Regit annis XI. Rexit Seligerus Annis 20. (al. 10.)
- 1092.** Heinricus Tertius Imperator, Conradum filium super partem Italiæ Regem constituit, eius nominis Tertium, Qui rexit in Italia Annis 9.
- 1096.** Christianorum Principes a Petro quodam Heremita, ignoto antea homine, contra Sarracenos subleuati, ingenti multitudine Gotefrido Buleonio Lotharingiæ Duce ductore ac rectore, e Gallia mouentes, per Germaniam et Pannoniam Constantinopolim uadunt, ac ibi transmisso Hellesponto Nicæam Bithyniæ urbem primo, Mox Antiochiam Syriæ, et plurimas alias Sarracenorum Vrbes rapiunt.

Dominus Eberhelmus de Altbürren senior Nobilis, dedit Cœnobio nostro Badachtal . obiit die . . Januarii.

Luitgart Nobilis Matrona, præfati Eberhelmi de Altbürren senioris uxor dedit Domino Ruodolfo tum Abbati nostro eius nominis primo prædium in Rusinkon et prædium in Badachtal.

Dominus Eberhelmus de Altbürren Junior Nobilis, Eberhelmi senioris et Luitgardæ filius, Berengarii ot Reingeri frater, dedit Aldersuulo, obiit die . . Martii.

Gerhardus de dedit prædium in Russinkon.

- 1099.** die . . obiit Dominus Seligerus dudum Abbas noster, Vir religiosus ac deuotus, ualdeque senex, qui ante nouem annos

se Abdicauerat Abbatia, et Ruodolfo tradiderat, qui tum regebat.

Eodem anno, idibus Julii, Hierosolyma a Gotofrido Bulionio, Lotharingæ Duce et comitatu suo capitur. Cum 490. annis a Sarracenis possessa fuisset.

Berengarius de Altbürren Nobilis occisus, Eberhelmi et Luitgardæ filius, Eberhelmi Junioris et Reingeri frater, dedit dum uiueret Melchenouue.

1101. Heinricus Tertius Imperator et quartus Rex, Epiphaniam AquisGrani egit. Ibique filium Heinricum Juniorem constituit Regem Romanorum, eius nominis quintum, reprobato Majore filio suo Chuonrado, quem dudum coronauerat, et super partem Italiæ Regem ordinauerat. Illum odio habens quod esset uir Catholicus et iniquis actionibus patris non consentiret.

1101. die . . Maii Ruodolfus eius nominis primus Abbas noster obiit Anno Regni 45. Heinrici Tertii Imperatoris. Rexit Annis XI. Successit Gero, ordine decimus. Fuit Lodouici Comitis de Froburg frater. Regit Annis XXI. ¹⁾

Eodem anno obiit Chuonradus Rex Italiæ, Heinrici Tertii Imperatoris filius, patre uiuente, Florentiæ Italiæ, Anno Regni 9.

Reingerus de Altbürren, Nobilis, Eberhelmi senioris et Luitgardæ filius, Et coniunx eius Azala, dederunt prædium in Struofeneck.

1105. Heinricus quintus Rex, rebellionem aduersus patrem suum Heinricum Tertium Imperatorem in Baioaria parat.

Eodem Anno Fridericus eius nominis primus ordine sedecimus Alamannorum Dux, et Comitibus de Hohen Stouffen genitus, obiit, Cum rexisset Annis 26. Reliquit filios ex Agnete Heinrici quinti Regis germana sorore Fridericum Monoculum, eius nominis secundum, ordine uero 17. Alamannorum Ducem successorem, Et Conradum qui posthac A. D. 1116. Dux Franconiæ constituitur. Mater eorum Agnes postea Sancto Leopoldo Marchioni Austriæ et Stiria nupsit, Ex quo quatuor filios enixa, Luipoldum et Heinricum, in scismate ad tempus Duces Bauariæ, et Conradum Archiepiscopum Saltzburgensem, antea Patauiensem episcopum, Et Ottonem Episcopum Frisingensem historicum. Item tres filias.

¹⁾ Eschudi setzt den Tod des Rudolf fälschlich in das Jahr 1102.

Fridericus uero secundus Ducatum Annis 34. Regit.

1106. die Natalis Domini, qui prima Anni dies est Henricus quintus Rex ab omnibus Germaniæ principibus, Rex declaratur, Abiecto patre Henrico Imperatore.

1106. 7. Idus Augusti, die Martis, obiit Henricus Tertius Imperator et Quartus Rex. Anno Regni 52. Imperii 22. Dudum tamen Imperio ac Regno ab Henrico quinto filio priuatus, qui illi in Regno successit Annis 19. Regnauit antea Annis 7.

Ab omnibus principibus Viuente patre, contra illum Rex per totam Germaniam constitutus Die Natalis Domini 1106. prima Anni die.

1110. Gebehardus eius nominis Tertius Episcopus Constantiensis obiit, Rexit Annis 25. al. 26. Vodalricus eius nominis primus successit, Fuit Comes de Kiburg, et fundator Cænobii Crützingen. Regit Annis 17. Et eodem Anno Domini 1110. idem Volricus episcopus Capella Sancti Joannis in Cænobio nostro Heremitarum.

Ludouicus Comes de Froburg, frater Geronis Abbatis nostri, dedit prædium in Slierra.

1111. Henricus quintus Rex, Romæ die Mercurii post Octauam Paschæ, Pridie idus Aprilis Imperator coronatur eius nominis quartus a Paschali papa, Deinde rediit in Germaniam.

1111. Henricus 4. Imperator, et 5. Rex Cænobio nostro priuilegia ratificat, in præsentia Alberti Moguntini Archiepiscopi Brunonis Treuerensis Archiepiscopi, Cuononis Strasburgensis Episcopi, Volrici Constantiensis episcopi, Rodulfi Basiliensis episcopi, Frederici Ducis, Herimanni Marchionis, Godefridi Comitis de Caloën, Frederici Comitis de Zolra.

Signum Domni Henrici quarti Romanorum Imperatoris Invictissimi.

Data 7. Non. Octobr. A. D. 1111. Indict. 4. Regni 6. Imperii 1. in Argentina.

1114. Henricus 4. Imp. et 5. Rex, Geroni Abbati nostro ius edixit contra Ruodolfum et Arnolfum Comites de Lenzeburg, et Ciues Suuitenses, In præsentia Burchardi Monasteriensis episcopi, Rodulfi Basiliensis episcopi, Olrici Constantiensis episcopi, Vuidonis Curiensis episcopi, Epponis Nouariensis episcopi, Frederici Ducis, Berchtolffi Ducis, Godefridi Palatini Comitis,

Hermanni Marchionis, Arnolphi Comitis de Lenzeburg. Vodalrici Comitis, Alberonis Comitis de Froburg, Adalbertus Comes de Hauesburg, Rodulfus de Fricca, Berchtolfus de Nuringa, Fredericus Comes de Zolra.

Signum Domni Heinrici Quarti Romanorum Imperatoris inuictissimi.

Bruno Cancellarius recognouit.

Data 6. Idus Martii A. D. 1114. Indict. 7. Regni 14. Imperii 3. Basileæ.

1122. Gero Abbas noster ordine decimus obiit 3. die Februarii, cum rexisset annis 21. et aliquot Menses. Successit Vuernherus eius nominis primus ordine undecimus. Regit Annis 20. Fuit Arnolphi de Altbürren Nobilis, et Chuonzæ nobilis Matronæ filius. Alii dicunt Arnolphi Comitis de Lenzeburg, et Chuonzæ de Altbürren nobilis Matronæ filium extitisse.

Arnolfus de et Chuonza de Altbürren uxor eius, dederunt prædium Scheidegge. Horum filius fuit Vuernherus Abbas noster.

1125. 10. Kal. Junii. Heinricus Imp. quartus, Rex quintus obiit Ultraiecti in Frisia, Anno Regni 20. Imperii 14. Post obitum eius interregnum successit Menses 4. Dies XXIII. Imperialia insignia apud nepotes suos ex sorore Agnete, Fridericum Monoculum Alamannorum Ducem, et Conradum Franconiæ Ducem remanserunt, Quorum Conradus a quibusdam principibus Rex creatur. Sed cum jam ante illum a pluribus principibus Lotharius Dux Saxonie electus fuisset, et idibus Septembribus Aquisgrani Rex coronatus, aliquandiu inter se bellum gesserunt. Lotharius uero potenter regnum obtinuit, Regit Annis 13. dies 8. Fuit eius nominis Tertius non in Germania.

1127. Volricus eius nominis primus Episcopus Constantiensis obiit, cum rexisset Annis XVII. Volricus ejus nominis secundus successit. Fuerat Monachus Sancti Blasii. Regit Annis 3.

1133. Pridie Nonas Julii Lotharius Tertius Rex Romæ Imperator itidem Tertius eius nominis Coronatur ab Innocentio secundo papa.

1133. Lotharius Tertius Romanorum Imperator Augustus, Cœnobii nostri priuilegia confirmat.

Signum Domni Lotharii Tertii Romanorum Imperatoris inuictissimi.

Ego Bertholdus Vice Angeberti recognoui.

Data 6. Idus Julii A. D. 1135. Indict. 13. Regni XI. Imperii 3. in Luitera. (Luthern Münster In Vuesterich.)

1137. obiit Lotharius Tertius Imperator et Rex, pridie Kal. Octobris. Interregnum fuit Mensibus. 6.

1138. Conradus Dux Franconiae Comesque ab HohenStouffen, Friderici Monoculi Alamannorum Ducis frater, qui dudum Regnum affectauerat, in Regem eligitur, et Calend. Aprilis in die Sabbato Aquisgrani Coronatur. Regit Annis 13. Mens. 10. dies 15. Fuit eius nominis Rex Tertius, quamuis se semper Secundum nuncupauerit in diplomatibus.

1139. Fridericus eius nominis secundus, ordine 17. Alamannorum Dux, dictus Monoculus obiit, cum Ducatum rexisset Annis 34. Huic successit Fridericus filius, eius nominis Tertius, ordine 18., quem Cuonradus Tertius Rex, patruus in defuncti patris locum substitit, Cognominabatur ab Italis Barbarossa, Regit Annis 13. Et posthac Imperium adeptus est.

Eo anno Cuonradus Rex Genuensibus in Liguria concessit Monetam cudendi facultatem. Ea conditione ut perpetuo nomen eius superscriberent.

1140. Volricus eius nominis secundus episcopus Constantientis obiit, cum rexisset Annis 13. Hermannus eius nominis primus genere nobilis de Arbona successit. Regit. An. 26.

1140. Chuonradus Romanorum Rex Secundus, Priuilegia Cœnobii nostri ratificat. Vuernerus Abbas. Vuerinherus Comes de Baden — Vdalricus de Lenzeburg.

Signum Domni Chuonradi Romanorum Regis Secundi.

Ego Arnoldus Cancellarius Vice Alberti Archicancellarii recognoui.

Data 17. Cal. Decemb. A. D. 1140. Indict. 3. Regni 3. Actum in obsidione Castri Vuinneberch. (Vuinsperg teste Vrsperg.)

1142. Pridie Nonas Martii id est 6. die Martii. Anno 4. Regni Conradi Tertii Regis, Vuernherus eius nominis primus, ordine undecimus Abbas noster obiit, cum rexisset Annis 20.

Successit Ruodolfus eius nominis secundus, ordine duodecimus. Regit annis 30. Is euestigio post electionem Constantiam ad Chonradum Tertium Regem tunc ibi existentem proficiscitur,

quo iubente a Hermanno Constantiensi episcopo, poscente id Dietuino Cardinale Sanctæ Rufinæ episcopo Portuensi, apostolico legato, in Cœnobio Sinthlesaugia in die Palmarum quæ erat pridie idus Aprilis, consecratus et benedictus est. Huius electionem Ruodolfus Comes de Raprechtsuile Aduocatus nostri Monasterii uiolenter conatus est ad reiiciendum, quum ipse electioni non præsens fuisset, Sed ob id pœna multatus est a Rege.

1143. Caput Sancti Iusti, quondam Cœnobio nostro a Monachis Alperspachensibus furtiue ablatum, redditur, jussu Hermanni Constantiensis Episcopi.

1144. Chuonradus Romanorum Rex Secundus. Interuentu Gertrudis Coniugis, Ruodolfo Abbati Megenrades Cellæ, sententiam dat in lite contra Vodalricum Comitem de Lenzeburg et Cohæredes suos, ac Ciues de Suutes, Astante pro iure Abbatis Ruodolfo de Raprechtsuile, Aduocato Cœnobii. Præsentes fuerunt Burkardus Argentinensis episcopus, Ortliebus Basiliensis episcopus. Fridelo Abbas Augiensis. Fridericus Dux. Chuonradus Dux. Hermannus Marchio. Rodulfus de Honberch. Volmarus de Froburg. Vodalricus de Gamertingen. Euerardus Comes de Kirchberg. Bertholdus de Callendin. Theodoricus Comes de Monbilgart. Vodalricus Comes de Egensheim. Marquardus de Gruonbach. Bertolfus Comes de Nüuuenburg. etc.

Signum Domni Chuonradi Romanorum Secundi Regis inuic-tissimi.

Ego Arnoldus Cancellarius uice Heinrici Moguntini Archiepiscopi et Archicancellarii recognoui. Data 8. Idus Julii. A. Domini 1144. Indict. 5. Regni 6. Argentinæ.

1152. Conradus Tertius Ro. Rex (qui se in litteris secundum nuncupabat) moritur, relicto filio paruulo ex Gertrude coniuge genito. Obit autem 15. Cal. Martii cum rexisset Annis 14. paulo minus. Interregnum dies 17. Huius nepos ex Fratre Friderico Monoculo, Fridericus eius nominis Tertius Alamannorum Dux, ordine 18. dictus Barbarossa, in Regem eligitur. et Coronatur 7. Idus Martii Aquis Grani. Rexerat Ducatum fere Annis 13. Et substituit in Ducatu Fridericum patruelem, eius nominis quartum, ordine 19. qui filius defuncti Regis Chuonradi Regis erat, qui Ducatum regit Annis 15.

(Regnat Fridericus Rex Annis 37. Menses 3. Dies 7.)

- 1155.** Fridericus Barbarossa Rex, Romæ ab Hadriano quarto papa Imperator consecratur die Sabbati 14. Cal. Julii.
- 1166.** obiit Hermannus episcopus Constantiensis eius nominis primus, cum rexisset Annis 26.
Successit Otto eius nominis secundus, qui regit Annis 8.
- 1167.** Fridericus eius nominis quartus, ordine 19. Alamannorum Dux, Conradi Tertii bonæ memoriæ Regis filius, moritur Romæ in Castris Friderici Barbarossæ Imperatoris patruelis sui sine prole. Rexit Ducatum Annis 15. Fridericus Barbarossa Imperator suffecit in Ducatu Fridericum filium suum, eius nominis quintum, ordine 20. qui regit annis 23.
- 1170.** Fridericus Barbarossa Imp. Heinricum filium AquisGrani Regem coronari fecit, eius nominis Rex Sextus.
- 1171.** 14. Kal. Decemb. id est 18. die Nouembr. obiit Ruodolfus eius nominis secundus, ordine 12. Abbas noster, cum rexisset annis fere 30. Vuernherus eius nominis secundus, ordine decimus tertius, ex Comitibus Raprechtsuuil, qui uulgariter Vuarinus nuncupabatur, Monachus Sancti Galli, Ruodolfi Comitis Aduocati nostri frater, per uim ab ipso Aduocato intruditur in Abbatiam, contra uoluntatem fratrum Conuentualium, qui alium eligere constituerant. Rexit Vuarinus in scismate annum unum, Menses 4.¹⁾
- 1173.** Fratres Cœnobii nostri minas ac terrores Vuarini Abbatis sui ui intrusi, ac Ruodolfi Comitis de Raprechtsuiler Aduocati, non ferentes, Imperatorem Fridericum Barbarossam tum in Seconiensi Cœnobia existentem adeunt, Pridie Kal. Martii Feria quarta, in ieiunio Quatuor temporum, Et illi casum suum conquærantur. Imperator uero utrumque de Abbatia contendentem respuens, scilicet Vuarinum, et illum quem Fratres desiderabant, Tertium (sed ex ipsis Fratribus) illis Abbatem designauit, Videlicet Vuernherum eius nominis tertium, ordine decimum quartum, ex Comitibus de Toggenburg genitum, Sicque Scisma inter illos tollitur. Rexerat Vuarinus depositus Abbas Annum 1. Menses 4. Regit Vuernherus Tertius Annis 19.
- 1174.** Otto eius nominis secundus episcopus Constantiensis obiit, cum rexisset Annis 8. Successit Berchtoldus Annis 10.

¹⁾ Andre machen aus Wernher und Warin zwei Personen.

1177. Heinricus Rex, Friderici Barbarossæ Imp. filius, Romæ ab Alexandro Tertio papa Regali corona coronatur, in præsentia Imperatoris patris.
1184. obiit Berchtoldus episcopus Constantiensis, cum rexisset Annis 10. Hermannus eius nominis secundus successit Annis 12.
Eodem Anno Heinricus 6. Rex ab Archiepiscopo Mediolanensi Mediolani secundum consuetudinem coronatur, in præsentia Friderici Imperatoris patris.
1190. 4. Idus Junii. Suffocatus est Fridericus primus Barbarossa Imperator in fluuio Salefo Armeniæ, qui et Serra nuncupatur. Profectus enim erat in Asiam, ut Terram Sanctam recuperaret, quæ amissa erat. Rexit Annis 37. Menses 3. Dies 7. Heinricus filius dudum Rex creatus in Regno successit, eius nominis sextus. Regnavit post obitum patris Annos 7. Menses 2. dies 22. Et cum patre Annos 20.
1190. Fridericus nomine quintus ordine Vicesimus Dux Alamannorum, Heinrici sexti Regis frater, breui post obitum Friderici Imperatoris Barbarossæ patris sui obiit in obsidione ciuitatis Acon. i. Ptolemaidæ in Syria. Rexit Ducatum Annis 23. Successit in Ducatu Conradus eius nominis secundus, ordine 21. frater Heinrici 6. Regis, Barbarossæ defuncti Imperatoris filius, qui antea Dux Franconiæ erat. Regit Ducatum Annis 6.
1191. 17. Cal. Maii. Heinricus sextus Rex Romæ a Celestino tertio papa, Imperiali Corona sublimatur. Imperator quintus eius nominis.
1192. Vuernherus eius nominis tertius Abbas noster, Anno secundo Imperii Heinrici quinti Imperatoris Abbatiam Fratibus Cœnobitis suis resignauit, cum rexisset Annis 19. Fratres uero elegerunt Vodalricum eius nominis primum, ordine XV. ex Comitibus de Raprechtsuile genitum, qui Monasterio nostro ualde nocius fuit, et omnia perturbauit. Regit Annis 14.
1196. Principes Alemanniæ pene omnes Fridericum, Heinrici quinti Imperatoris filium adhuc in cunis uagientem Regem declarant et assumunt, eius nominis secundum, id procurante Heinrico Imp. patre, qui tum in Sicilia erat.
Eodem anno al. A. Domini 1197. Conradus Secundus, ordine 21. Dux Alamannorum obiit in oppido Durlaich, cum rexisset Annis 6. Philippus qui ipsius ac Heinrici quinti Imp. frater

germanus erat successit, ordine 22. Qui posthac Anno Domini 1198. Rex creatur. Regit Ducatum Annis

1196. Eodem anno Hermannus eius nominis secundus Constantiensis episcopus obiit. cum rexisset Annis 12. Diethelmus successit Annis 8. Mens. . .

Chuonradus Dapifer de Humbrechtikon, dedit pro se et fratre suo Ruodolfo tempore Volrici primi Abbatis nostri, possessiones aliquas suas in Hurden in Vuolrouua, an der Vada, in der Huoba, super Berg, sub monte Etzelin, in Sunnenberg, in Erlon, in dem obern Erlibach, in der Vuëni, sub Monte Snabelberg, Suueigam in der Muoserouua.

Domina Gisla de Humbrechtikon dedit pratum in Sunnenberg.

1198. in die Sancti Michaëlis. 3. Cal. Octob. Heinricus quintus Imperator, et sextus Rex obiit in Sicilia, Rexit Annis 27. solus Annis 7. Mens. 2. Dies 22. Reliquit filium Fridericum adhuc infantem in Sicilia Regem, qui posthac Anno Domini 1210. Romanorum Rex factus. Post obitum Heinrici Imp. interregnum fuit Menses 6. dies 8.

1199. die Natali Domini, quæ prima Anni est Philippus Dux Alamannorum et Marchio Thusciæ defuncti Heinrici Imp. frater apud Hagenow op. erat. Et cum nepos eius Fridericus Rex Siciliæ Heinrici Imp. filius adhuc infans esset, timuit ne Regnum Romanorum illi a Principibus Teutonicis tolleretur, et prosapia sua hoc modo destitueretur ab imperio, Tractat ipse de adipiscendo sibi regno. Sed cum priori anno mense Februario Celestinus tertius papa decessisset, et Innocentius tertius illi successisset, qui statim cum pontificatum iniisset Philippo Duci aduersari cœpit, et post Heinrici obitum impediuit, ne imperium obtineret, Conatusque est Bertholdum Ducem Zæringiæ ad imperium euehere, Tantumque egit ut Colonia a quibusdam Principibus Rex declararetur. Philippus uero penes se omnia insignia Regia habens, confisus quorundam Principum fauore, cum audisset Bertholdum Colonia Regem electum, Conuentum adunauit cum Principibus sibi fauentibus in oppido Mülhusen, Vbi a Sueuis, Saxonibus, Bauaris, ac Bohemis, et principibus pluribus Rheni, eligitur in Regem. 8. idus Martii. Bertholdus uero Dux Regnum non iniit, Nam cum diffidere cepisset ad obtinendum imperium, rediit in gratiam Regis Philippi. Phi-

lippus uero plus quadriennio regnauit, non coronatus, Nam posthac A. Domini 1205. AquisGrani coronatur. Regnauit autem annis 10. in scismatico tempore.

1199. Adolfus Archiepiscopus Coloniensis, et Conradus Episcopus Argentinensis, cum aliquibus aliis, miserunt Albertum Comitem de Dagisburc, et Comitem de Liningen in Angliam, ut inde adducerent Ottonem Ducem Saxoniae, Qui Richardi Regis Angliae nepos ex Sorore erat, illumque Coloniae in Regem elegerunt Mense Martio, contra Philippum. Qui festinans ad AquisGranum, ibidem ab Adolfo Archiepiscopo Coloniensi coronatur, Eiusque coronationem ac electionem Innocentius Tertius papa approbavit.

Eberhardus Abbas Fabariensis dedit Mata et Vualtersuile.

1205. Philippus ante quinquennium fere dudum Rex creatus, AquisGrani ab Adolfo Coloniensi Archiepiscopo coronatur.

Eodem anno Diethelmus episcopus Constantiensis obiit, cum rexisset Annis 8. Menses . . . Vuernherus successit Annis 4.

1206. Volricus eius nominis primus, ordine 15. Abbas noster, Abbatia merito priuatur, cum pessime Annis 14. cœnobio nostro præfuisset. Anno Philippi Regis septimo. Berchtoldus eius nominis primus, ordine 16. successit Annis 8. Fuit stirpe Nobili de Vualsee genitus, qui ex Comitibus de Monte Sancto (Heiligenberg) ab antiquo procreati sunt.

1208. Mense Junio XI. Kal. Iulii. Philippus Rex occiditur ab Ottone Palatino de Vuitilischbach. Ducatus Alamannorum, quem Annis 12. Rexerat Friderico eius nominis sexto ordine 23. Siciliae Regi cessit hæreditario iure. Erat enim fratris sui Heinrici dudum Imperatoris filius.

1209, Vuernherus episcopus Constantiensis obiit, cum rexisset Annis 4. Conradus eius nominis secundus successit Annis 19.

1209. 3. Kal. Martii Ottonis Regis Anno 1. Pfeffers littera.¹⁾

1209. 8. Kal. Iulii Innocentii Tertii Papæ Anno 12. Ottonis Regis Anno 1. Conradi Constantiensis Episcopi Anno 1. electionis suæ Indictione 12. Littera S. Johannis.²⁾

1) Hier ist wohl die Urfunde gemeint „qua Otto IV. anno 1208 advocatiam Fabariensem pro 300 marcis oppignoravit Henrico de Sax.“
Eichhorn Ep. Cur. p. 280. Esch. Chron. I. 105.

2) Die Urf. steht bei Esch. Chron. I. 107.

1209. Otto Rex 5. idus Octobris Romæ ab Innocentio Tertio pontifice imperiali Corona sublimatur, cum iam Annis 10. Menses 7. et Diebus aliquot in Schismate contra Philippum regnasset. Et breui post Imperialem Coronationem, ab eodem Innocentio papa excommunicatur.

1210. Fridericus Rex Siciliæ et Alamannorum Dux, Heinrici quinti dudum Imperatoris filius, Philippi Regis fratris, Contra Ottonem quartum Imperatorem excommunicatum, Romanorum Rex eligitur Idibus Decemb. Erat tum in Sicilia.

Volricus de Vuolrouue Miles Ministerialis noster, dedit Nouale iuxta fluuium Alba Trachselouue nuncupatum.

Chuonradus Hunno de Suuites dedit tres solidos. Et septem solidos pro Lumine, de Bebenberg. Obiit die .. Februarii.

1212. Fridericus Rex cum ex Sicilia in Germaniam uenisset, Ottonem quartum Imperatorem in Saxoniam fugat. Et AquisGrani profectus ibi coronatur.

1214. Berchtoldus eius nominis primus Abbas noster Abbatiam resignauit, cum rexisset Annis 8. Chuonradus eius nominis primus, ordine 17 successit Anno secundo Regni Friderici secundi Regis. Regit Annis 20. Fuit ex Comitibus de Thuno genitus.¹⁾ Huius temporibus

1226. 3. Non. Maii. Ecclesia cœnobii nostri atroci incendio conflagrauit, et eodem anno reparatur.

¹⁾ Eschudi setzt dieß in's Jahr 1213. Chr. I. 113.

Soweit die „Annales maiores Einsiedlenses.“ Zu denselben geben wir noch aus dem liber heremi die kleinern Annalen, mit welchen die Handschrift beginnt, und eine Reihe historischer Bemerkungen, welche dem Verzeichniß der Kaiserurkunden in derselben Handschrift vorangehen.
